

VC
751



II, 20.

II, 20.



Index.

1. Praetorü Historiae Saxonicae Specimen. I. praeside Ad. Rechenberg.
2. Eiusd. Specimen. II.
3. — — Specimen. III.
4. Muller Serenissimae domus Saxonicae hodie imperantis capita

Index.

1. Professor Hiltner de Jure Juris
2. Prof. Dr. Jurem. II.
3. Prof. Dr. Jurem. III.
4. Müller de Jure Juris



6-

Q. D. B. V.

HISTORIAE
SAXONICAE

SPECIMEN I.

quod

PRÆSIDE

L. ADAMO Rechenberg / P. P.

Patrono atque Præceptore devenerando,

in

ACADEMIA LIPSIENSI,

ERUDITORUM EXAMINI

d. XVI. Aug. M. DC. XCIII.

submittit

JO. CHRISTOPH. PRÆTORIUS,
Bischoffswerda - Misnicus,

AUTOR.

LIPSIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

PROTO-SYNEDRI ELECTORALIS,
QVOD DRESDÆ EST,
ILLUSTRI DOMINO,
PRÆSIDII,

NEC NON
Ejusdem

ASSESSORIBUS,
ET
CONSILIARIIS
ECCLESIASTICIS,

VIRIS


*Summe Reverendis, Magnificis atque
Amplissimis*

DOMINIS ac PATRONIS SUIS,
GRATIOSO atq; MAXIMIS,

hocce

SPECIMEN HISTORICUM,

cum submissa animi observantia,
cultus debiti gratia,



D. D. C.

JO. CHRISTOPH. PRÆTORIUS.

DOMINE ILLUSTRIS,
PATRONI MAXIMI:

Historiam Saxoniam, amore Pa-
triæ ductus, multis voluminibus
sparsim alia traditam, in compen-
dium redigere aggressus sum, quo
gentis inclutæ gesta inde ab ejus
origine, continua velut serie con-
nexa, ab omnibus legi possent. Fateor equidem,
conatum hunc meum supra vires juveniles esse, ac
potius virum ab ingenio, rerum multarum peri-
tia, atque exacta judicandi facultate instructum
poscere. Enimvero, si in magnis etiam voluisse
quandoque satis est, audacia hæc mea eo facilius
excusari poterit, quo plures duces, jam nactus
sum, qui, quo itinere hac in parte propediendum
sit, ostenderunt. Nihil enim temere affirmare su-
stinui, quod non certis documentis, cum ab aliis,
tum etiam a Præsidente hujus dissertationis mea ho-
noratissimo suppeditatis, probari queat. Si ætas
annos & judicium firmaverit meum, aliquando
majori opere plenius hanc historiam exsequi de-
crevi, adductis autorum testimoniis hic omissis;
ut,

ut, quibus singula debeam, omnibus constet. Primum hoc tantum specimeu est, plura daturus, si Vestra gratia & favore. DOMINE & PALRONI MAXIMI, trui mihi datum fuerit. Hanc enim ob causam illud ILLUSTRIS & MAGNIFICIS VESTRIS NOMINIMUS inscribere ausus sum; ut, si Vobis probetur, alacrius hoc institutum persequi possim. Nam blandior mihi, cum MAXIMO PRINCIPI GENTIS SAXONIÆ HODIE CAPITI GLORIOSO, ministeria Vestra ab ungue adprobetis, VOBIS nec argumentum, nec voluntatem meam displicituram esse. Quapropter etiam qua decet, submissione animi rogo, ut studia mea qualia cunpue fovere, mihi que favere dignemini. De quo si certus fuero, finita hac historiae parte, quæ Principes potissimum Saxonicos attinet; etiam alia, quæ ad notitiam provinciarum & negotiorum civilium spectat, in posterum pari ausu describere sustinebo. DEUS VOS patriæ & SAXONIÆ ELECTORI DOMINO AC PRINCIPI MAXIMO servet incolumes!

VV. NOMINUM ILLUSTR.
& MAGNIFICORUM

*Lipsie, d. XVI. Aug.
MDCXCIII.*

cultor devotissimus

JOH. CHRISTOPH. PRÆTORIUS.



HISTORIÆ SAXON.

SECTIONIS I.

De,

*Origine Saxonum, eorumque gestis ac Ducibus
usq; ad Theodoricum Comitem Weissenfels.*

Henrici Illustris parentem.

CAPUT I.

ejusque

ARGUMENTUM.

S. (1.) Proœmium. (2.) Saxonum Origo. (3.) Prime eorum in Germania Sedes. (4.) Saxones Suevorum derelictas sedes occupant, in Galliam excurrunt. (5.) Saxones contra Pictones à Britonibus evocati, latius progrediuntur: Jutas subigunt: Aëtio contra Hunnos militant. (6.) Saxones alii in Anglia, alii in Germania: Hi Francorum, in bello Thuringico, cujus origo atque causa commemoratur, socii, Thuringia partem, victoria premium obtinent. (7.) Saxones cum Longobardis à Narsete evocati, in Italiam profecti, per Alpes revertuntur: Remensium agros depopulantur: à Romanis caduntur: Denuo in Italiam, abeunt; Redeuntes, cum Suevis bellum de sedibus suis interim

A

occu-

occupatis, gerunt. (8.) Bellum eorum cum Lothario & Dago-
berto Francorum Regibus: (9.) Qui devictis Slavis, tributo
quotannis pendendo Francis, eximuntur. (10.) Saxonum fines,
ac divisio in Ostphalos, Westphalos ac Angrivarios. (11.) Mo-
dus imperandi penes ipsos receptus.

§. I.



Um multæ gentes rerum a se olim gesta-
rum scriptores invenerint idoneos, qui il-
las annalibus mandarent; tum post He-
bræos, Græci & Romani in primis hac in
parte felices fuere; quod ipsis non defue-
rint clara ingenia, quæ pari eloquentia ac
libertate, res suas memorarunt. Quanquam postea mu-
tato per barbaros gentes, rerum statu, præclara illa inge-
nia cessere. At Germanorum veterum res ac mores
ignorarentur plane, nisi Julius Cæsar & C. Tacitus quæ-
dam de iis retulissent. De omnibus enim, in quas Germa-
nia divisa fuit, gentibus, non legimus memoriæ proditum
fuisse. Ac, ut alias omittam, Saxones adduxisse sufficiat.
Quorum origines certe & gesta, nec a Romanis, nec a Ger-
manis antiquis tradita sunt. Itaque operæ pretium me
facturum existimavi, si in nobilissimæ gentis origines &
gesta inquirerem, ac pro viribus ingenii, historiam eo-
rum in compendium constringerem, fide semper ac testi-
moniis meliorum autorum usus, DEUS institutum hoc-
ce meum fortunet!

§. II. Quod dicitur Saxonum origines attinet, quidam eos e
Macedonum gente, cum WITTEKINDO CORBEJENSI
ortos, ac a cultellorum genere, SACHS ipsis nominato, dictos
arbitrantur. *Cranzius* cum Catti eosdem confundit; quoniam
Tacito Catti quidem, minus vero Saxones noti fuissent. At tu-
tius quis suspicari posset, multa ex Tacito, & præcipue ea, quæ
Saxo-

Saxonum gentem attinent, periisse. Quibus autem a SACIS eos derivare placet, *Simbo* obstat; quippe ex quo, gentem hanc nunquam in Germaniam migrasse, haut obscure demonstrari potest.

§. III. Nobis eorum magis opinio probatur, qui e SASSONIBUS Asiæ Borealis seu Scythica gente, illos deducunt, atque mari Septentrionali in dorsum Chersonesi Cimbricæ profectos tradunt. Certum enim est, primas hanc gentem in Nord-Albingia seu cervice Chersonesi Cimbricæ, sedes suas habuisse, indeque in Holfatiam, Ditmarsiam & Stormariam & ad Amasim usque diffusam, jam tum Juliani Imperatoris temporibus, late inter Visurgim & Rhenum habitasse.

§. IV. Suevis quippe demigrantibus, Saxones circa Visurgim ac Rhenum confedisse, Francisque vicinos, crebras cum iis in Galliam excursionses fecisse, id multis veterum testimoniis probari potest. Eos enim magnis agminibus in Galliam irrupentes, secuti sunt. Sed à Juliano & Valentiniano Imp. repulsi, derelictas Francorum inter Amasim & Rhenum terras occuparunt.

§. V. Deinde sub Marciano Imp. a Britonibus, Romanorum ob bella varia, ope destitutis, contra Pictones & Scotos in auxilium evocati, hostes quidem eorum compescuerunt; Soli autem fertilitate allecti, causam non solutorum stipendiorum prætendentes, amicos ipsos hostiliter invaserunt, Angliæque partem haut exiguam an. Chr. 450. occuparunt; dum interim Saxones Mediterranei Juttas in Chersoneso subegissent; alii etiam operam Aëtio contra Attilam Hunnorum Regem in prælio prope Tolosam commisso, navassent. Ac licet resumtis postmodum viribus, Britanni, Duce Valeriano, Saxones adorti aliquoties devicissent; prohibere tamen minus potuerunt, quin illi, submissis sibi e patria auxiliis, sedes occupatas retinerent, pristinosque incolas in adversum Britanniaë littus propellerent. Atque hinc Saxonum divisio in SAXO-ANGLOS, & SAXONES, nata est.

§. VI. Hi an. 478. aliquot in Belgium & Galliam fecere excursionses; cumque paulo post bellum Thuringicum exardesceret,

sceret, Francis militarunt. Hermenfredus enim R. Thuringorum, Amelbergæ conjugis, Theodorici Ostro-Gothorum in Italia Regis filix, stimulatus illecebris, quo solus regnaret, insidias fratrum vitæ struxerat. Postquam vero has effugiens Badericus frater, bellum aut seditionem moliretur; Hermenfredus, Theodoricum Austrasiæ Regem, spe partiendæ cum ipso possessionis fraternæ, in auxilium evocavit. Is superato Baderico, promissam ditioris partem poscebat; speque frustratus, ipsum bello aggressus, vicit, victumque in castrum ejus Scheigum, Hermenfredum compulit. Quod, Saxones per legatos in auxilium a Theodorico acciti, cum se insciis negotium pacis clam tractari, a Thuringo quodam comperissent, noctu ex improvise expugnarunt, multisque in urbe trucidatis, finem bello imposuerunt. Atque ita Thuringia subacta fuit; parte ejus orientali Saxonibus in præmium operæ cessa, quæ Unstruta, amne, a reliqua Francis infessa, dirimitur.

§. VII. Thuringiam inde divisam Saxones & Franci, pace facta tenebant. Verum Saxones bello asueti, Alboino Langobardorum Regi a Narsete in Italiam evocato, operam suam addixere. Mox tamen non satis forte digne a Longobardis habiti, & à Francorum Regibus, qui Longobardos verebantur, instigati, per Alpes in patriam vestigia relegerunt; dum interim Campaniæ bello occupati essent Longobardi, quorum victorias, cum Saxones in Rhemensibus stativa habentes comperissent, ipsi quoque prædas ibi agere cœperunt. Verum nimis secure deprædantes ex improvise, a Mumulo civem Romano, in Amati a Longobardis interfecti, locum surrogato, opprimuntur. Hanc cum ulturi essent cladem, interventu Regum Franciæ, pax componitur. Inde denuo in Italiam profecti, Longobardos victoriis insolentiores factos offenderunt. Quapropter cum Sigberto, Austrasiæ Rege, icto fœdere, ad patrios lares remearunt, quos, a Suevis interea occupatos, multis suorum millibus amissis, difficulter recuperarunt.

§. VIII. Post hæc cum Francis bella gesserunt. Nam agre
fere-

ferebant, quod Dagobertus, Lotharii filius, Rex Austrasiæ factus esset. Grave etiam videbatur, quod ex pacto annuum de Thuringia tributum ipsis esset pendendum. Itaque concitatis simul Thuringis, qui ultra Unstrutam sub Francis habitabant, belli aleam jaciunt. Commissis inde aliquot præliis, Dagobertus a Bertholdo Saxonum Duce, percussa galea, in capite vulneratur. Accurrente vero in auxilium filio, a Rege Lothario, cruenta ad Visurgim acie profligantur, quotannis boves 500. Francis tributum loco dare coacti.

§. IX. Hoc tributo postea Slavis domitis, qui varia Thuringis atque Saxonibus damna intulerant, exempti, pro sociis Francorum habiti sunt. Quanquam non diuturna ista concordia fuit, cum de finibus subinde controversiæ nascerentur, quæ Regibus Francorum Carolo Martello, Pipinio atque Carolo Magno, ansam bellorum dedere; a quibus tandem perdomiti paulo mitiores facti sunt.

§. X. Caroli igitur M. ætate hi Saxoniarum fines erant. A meridie contingebat Francos & partem Thuringiæ, quæ Unstruta terminabatur: ab ortu Solis habebat Obetrittos; ab occasu Frisios, & a Septentrione Normannos. Tota gens distinguebatur in OSTPHALOS, qui in orientali Visurgis ripa ad Hercyniam & Albim usque habitabant; ANGRIVARIOS Occidentalem Visurgis ripam accolentes; & WESTPHALOS versus occidentem usque ad Rhenum, & versus septentrionem, usque ad mare protensos. Denique cum Carolus M. Slavos in Misnia quodammodo coercuisset, eo etiam paulatim infundi cæpere: donec Henrici Aucipis & sequioribus temporibus cis- & trans Albim latius sedes suas protulissent.

§. XI. Cæterum modus imperandi penes eos olim is ferebat, qui apud reliquos Germaniarum populos. In pace Rempubliam administrabant principes ex nobilitate electi, ex quibus bello ingruente dux, qui fortis animo manumque strenuus esset, designabatur. Cujus in bello maxima, cessante vero illo, haut major cæterorum erat potestas.

CAP. II.

ARGUMENTUM.

§. (1.) *Carolus M. bellum in Saxones decernit, Heresburgoque expugnato, destructo & obsidibus acceptis, in Italiam movet.*
(2.) *Sigisburgo capto, Heresburgo restaurato, Saxones rebelles ad Brunisberg cadit, Ostphalos & Westphalos in fidem recipit, Saxones rebellantes, Carolo redeunti ex Italia ad Lippiam supplices facti, baptizantur: (3) an. 777. denuò rebelles coërcet & Nordalbingos convertit: Osterwici Episcopatum condit & Krodonem delet. (4.) Saxonum, qui Caroli legatos ad Slavos missos interfecerunt, pœna. (5.) Carolus Paderborne conventu habito, Bardewicum veniens, Wittekindum ad se accersit, & baptizatum Somabis proficit: (6.) Caroli expeditiones in Saxones denuò rebelles. (7.) Wittekindi obitus, uxores & liberi.*

§. I.

CUM Carolus M. defuncto patre Pipino, Rex Galliarum inauguratus esset, bellum Saxonibus inferre meditabatur. Cujus initium in A.C. 777. circiter incidit. Memorabile hoc bellum velideo videri potest, quod triginta duobus annis duravit. Causa a Francis prætendebatur studium propagandæ religionis: verior forsitan fines proferendi cupiditas fuit. Saxonibus tum præerat Wittekindus, Wernekini filius, qui communi suffragio, dux belli electus, eo fortem & strenuum se præbuit semper. Primo impetu Carolus Heresburgum ad Dimelam invasit & expugnavit, destructoque Saxonum idolo IRMENSULA, ad Visurgim progressus, duodecim obsides ceu fidei pignora accepit, ac inde contra Longobardos in Italiam movit. Saxones interim Rege absente, rupta, quam dederant fide, Frizlariam usque cuncta depopulabantur. Quam perfidiam ille tripartito mox in Saxoniam misso exercitu, graviter ultus est.

§. II. Si-

§. II. Sigisburgum an. 775. cepit; Eresburgum refecit; Saxones ad Brunisberg, transitu supra Visurgim prohibere, ipsum volentes profligavit. Diviso in duas partes exercitu, ad Obacrum cum una ipse depugnat, atque Hassinonem Ostphalorum, & Brunonem Angrivariorum duces, obvios atque supplices in fidem, exacto juramento, obsidibusque datis recepit. Exercitus altera pars ad Wisaram demissa, a Saxonibus Westphalis, qui depopulatoribus immixti castra eorum intraverant, cladem passi sunt gravissimam, quam Carolus mox ultus est, fidemque Saxones denuo spondere jussit. Simulac vero in Italiam adversus Longobardos rebelles abierat Carolus; Saxones iterum Eresburgum invadentes diripuerunt. Nova hac perfidia Rex irritatus, habito Wormatiæ suorum conventu, Saxoniam rursus ingreditur. Cui ingens ad Lippiam Saxonum multitudo obviam facta; quæ cum Christianam fidem se amplexuram esse profiteretur, Carolus illi ignovit, baptizarique jussit. Hos in obsequio ut contineret, Eresburgum restauravit, & ad Lippiam novum condidit castellum.

§. III. Inde Paderbornam convocatos omnes Saxoniarum Seniores, sacro baptismatis fonte ablui curavit. Wittekindus interim ad Siffridum Regem Danorum confugerat, & cum in Hispaniam contra Saracenos Carolum profectum intellexisset ipse redux factus, denuo ad rebellionem Saxones concitavit, qui cuncta ad Rhenum & Duriam deprædando devastarunt. Hos Alemanni & Franci orientales in Liesi, Hassiæ ad Adarnam Fluvium loco profligarunt, ut ex ingenti multitudine vix pauci evaderent. Eisdem quoque ipse Carolus, nova, circa annum 779. expeditione suscepta, in loco Bucholz ad Lippiam fudit, subactaque Westphalia Mediöfulli Angrivarios & Westphalos, novo sibi juramenti vinculo obstrinxit. Anno autem sequenti ad Albim progressus, Bardengoenses & Nordalbingos, in loco Hocheym, ultra Obacorum amnem sito, supplices factos, Christianæ fidei initiari curavit. In rei memoriam Selingstadae (nunc Osterwick) consecrato St. Stephano templo, Episcopatum instituit. Qui Halberstadium postea

postea translatus est. Hartesburgi Krodonem idolum quod-
dam gentis Saxonicae delevit.

§. IV. Gens vero hæc impatiens quietis, anno sequenti,
statim novo se polluebat scelere. Fidem modo in Christum
professa fuerat; & tamen a Wittikindo adhuc idololatra, qui
e Dania redierat, sibi passa est persuaderi, ut Caroli legatos ad
Slavos, qui superato Albi fluvio, Saxoniam & Thuringiam in-
vaserant, missos adorirentur, copiasque eorum divisas ad in-
terneccionem usque cæderent. Quapropter & Carolus iusta
tandem indignatione percitus, 4500, reos super Alleram flu-
vium, in loco Ferdi, capitis supplicio affecit; etsi culpam depre-
carentur, ac Wittikindum qui in Daniam denuo confugerat,
autorem criminis nominarent. Postquam ita pœnas dede-
rant rebellionis, paulisper acquievêre. At anno 784. iterum,
frana mordere occœperunt, eoque meriti, ut duobus præliis,
uno ad locum Thietmelli Paderbornensis diœceseos; altero ad
Asam fluvium graviter castigarentur. Inde Carolus Thurin-
giam & Ostphalorum terras devastavit; Cum antea jam Ca-
rolus junior Magni filius Westphalos ad pagum Dragini com-
missa pugna superasset.

§. V. Anno 785. ineunte, Carolus conventum Paderbor-
næ egit, ac perlustrata tota fere Saxonia, Bardengoam seu Bar-
dewicum pervenit, quo Wittikindum & Albionem, quos in
Trans-Albina Saxonia commorari intellexerat, evocavit, tuti
commeatus gratia, obsides ad eos mittendo. Venerunt illi At-
tiniacum in Francia ad Carolum, tantique herois humanitate
permoti, non amplius Christo nomen dare refragati sunt. Ita-
que baptismatis unda perluti, in album Christianorum, tan-
dem fracta diuturna contumacia relati sunt. Quo facto, per
octo fere annos Saxonia pacata fuit. Ut vero religio Christia-
na majora incrementa caperet, Carolus Scholas atque Episco-
patus instituit, legibusque disciplinam determinavit. Witt-
kindo Saxoniam inferiorem gubernandam permisit, concessa
quoque comitibus, ne plane in servitutem redacti viderentur,
aliqua regendi potestate. Inde Saxones præclaram Carolo
adver-

adversus Wilfos, Slavos Obetrittis Francorum Sociis molestos, & Hannos operam præstiterunt.

§. VI. Ast an. 793. fidei suæ obliti Saxones, Theodoricum, Carolo per Frisiam copias adducere volentem, intercipiunt, atque trucidant. Ipsi scelus hoc ulturo, ad locum Sintfeld, primum quidem, quasi prælio parati occurrunt; mox vero potentiam ejus veriti, simulque pœnitentia ducti, supplices ei fiunt, veniamque consequuntur. Nondum tamen satis domiti, denuo an. 795. & 797. Carolo facessunt negotium. Quinimo Saxones Trans-Albini, antequam miles hibernis educeretur, Comites seu legatos Caroli & in his Godeschalcum, e Dania, quo ablegatus fuerat, redeuntem, ex improviso opprimunt. Novo hoc facinore Carolus ira incensus, in Cisalbinos etiam Saxones vastatis inter Visurgim & Albin agris, bello sævit. Tandem quod toties victi, nolent quiescere, Trans-Albinorum decem pœne millia in Galliã an. 804. cum liberis & uxoribus transtulit, pagosque ipsorum Obotritis divisit. Reliquos vero Saxones mansuetiores factos data frui permisit libertate, decimas tantum Sacerdotibus dare jubens.

§. VII. Wittikindus postea, in bello adversus Geroldum Sueviæ ducem an. 808. cæsus, Angriæ sepultus est. Cujus cineres postmodum collegio Angariense Herfordiam translato, simul eo transportati sunt. Uxores duas simul habuit, Gevam, Sigfridi Dantiæ Regis Sororem; (ex qua Wichbertum, Hafulam filiam, & ut quidam volunt, Ludolphum quoque suscepit) alteram Suatanam, Lechi Ducis Bohemiæ filiam, matrem Wittikindi II. de quo sequenti capite dicemus,

CAP III.

ARGUMENTUM,

- §. (1.) Ducum Saxonie notitia, ex quibus autoribus petita: (2.) Vita Wittikindi Junioris ejusque filiorum Friderici & Wittikindi III. (3.) Ditegremi, filiorumque Friderici & Brunonis. B (4.) Rid-

(4.) Riddaci, Bruniconis ejusque proles: (5.) Guntberi & Gunzelini, Brunonisque, filiorum: (6.) Eccardi I, & Hermannii: (7.) Eccardi II. (8.) Dirmari, Christiani ejusque posterorum: (9.) Theodorici & Friderici II. (10.) Dedonis II, & Friderici Palatinorum Saxoniae fatis: (11.) Theodorici II. Friderici, Dedonis, aliquot Marchionum Lusatiae genitoris, Geronis Comitis Brenensis & Conradi: (12.) Thimonis & Dedonis: (13.) Conradi, Theodorici, Hermannii, Henrici Senioris, Friderici Brenensis Comitis: (14.) Ottonis Magni seu Divitis & Alberti Superbi. (15.) Theodorici Weissenfelsae Comitis & Misniae Marchionis.

§. I.

Saxonum quidem in Scriptorum Francicorum monumentis saepius fit mentio: inde vero Wittikindi II, progenies certis adeo documentis declarari non potest. Nescio enim an Francorum forte invidia, an ipsa Saxonum negligentia hic accusari debeat, quod vitas gesta; Saxonum annalibus mandare omiserint. Vitio igitur mihi verti nequit, si recentiorum Scriptorum fide nixus, de iis memorare quaedam instituiam.

§. II. Fuit WITTIKINDUS II, Wittikindi Magni filius ex Suatana Bohemica, Sorabis inter Albim & Salam, imo & ultra Albim a Carolo M. praefectus. Patre defuncto obtinuit matris dotem, ditionem Budseziam, quae est circulus Budissinensis in Lusatia ad Spream. A Ludovico Pio Imp. accepit Burggraviatum Zorbecensem; ac ad Salam Withinum, ad Albim Witebergam condidit. An. 825. mortuus, in caenobio Wildershusiano, quatuor Brema miliaribus distante, sepultus fuit. Ex Julanda seu Ulada Theodorici Comitis Rochlicensis filia genuit Ditgremum, & Fridericum Zorbecae Burggravium, a Saxonibus, ob impositum per agros suos iter facientibus tributum, in tumultu occisum; & Wittikindum III, Andegavensium in Gallia Ducem.

§. III. DITGREMUS fratris Friderici necem in Saxonibus ulturus, ab Ottone duce eorum ad Dalemencios, Slavos
ultra

ultra Albim in Lusatia habitantes fugere compulsus est. Reconciliarius tamen Ottoni contra eosdem strenue militavit, pater factus ex Bossena Comitis Pleissensis filia, (1) Ditmari, de quo §. IX. (2) Cunigundæ, Alberti II. Ursini, Comitis Ascaniæ & Ballenstadii uxoris, & (3) Friderici in bello adversus Normannos an. 880. occisi. Filii ejus sunt (a) Fridericus in Aula Henrici Aucupis Imp. educatus, & primus Misniæ Marchio constitutus: (b) Dedo a. C. 925. in prælio cum Henetis commisso interfectus, & (c) Bruno in eadem pugna cæsus.

§. IV. Huic nati ex Oda Philippi Comitis Reveningensis & Nortringensis filia, (1) Riddacus, Friderici in Misnensi Marchia Successor: qui ludos equestres an. 968. Misnæ celebravit. Sub quo a. 978. Misna urbs a Wogone Bohemiæ Ducis præfecto capta est. Vita defunctus a. 986. reliquit filium Carolum Marchia privatum, annoque 1014. extinctum: filiam anonymam, uxorem ducis Poloniæ, a marito postmodum repudiatam; (2) Guntherus, de quo §. seq. (3) Brunico, qui ab Eberhardo Franciæ Orientalis duce victus est: Ab Ottone I. post obitum Geronis, Marchio Brandenburgensis constitutus, vita an. 965. excessit, Brandenburgi ad B. Mariam in monte Harlungorum sepultus. Uxor Willa Marchionissa Saxonæ, in Italia extincta, prope Florentiam in cœnobio Septonensi condita fuit. Ex qua nati

(1) Manfredus juxta patrem tumultatus, (2) Hermannus ad fratris latus repositus, (3) Hugo Supremus Ottonis M. in Hetruria & Tuscia præfectus. Hic Ottonem Romæ obsessum liberavit. In Italia mortuus A. 1001. Florentiæ in monasterio a se condito sepultus est. (4) Sighardus Marchio Brandenburgicus, qui an. C. 1010. obiit. Hujus filius Theodoricus, acerrimus Slavorum hostis, a Mistiewoo Obetritta, quem canem Slavicum dixerat, cui Bernhardi Ducis Saxonie filiam elocare in matrimonium dissuaserat, devictus, & ditionibus suis exutus, Magdeburgi exul, præbendis Canoniorum sustentari necessum habuit. Filiam ejus Tetburgam duxit Dedo II. Comes Witthini (5) Albia s. Alarica, abbatissa cœnobii Gerbstetani.

§ V. Guntherus alter Brunonis filius possedit arcem Sceudizensem, variisque in bellis egregiam Ottoni II. operam præstitit. Proles ejus

(1) Eckardus, de quo seq. §. (2) Gunzelius post Eckardum fratrem, Marchio Misnie factus, qui obsidioni Budisse in Lusatia interfuit, atque, ne Henricus II. Imp. ad eam vulneratus, incenderet, intercessione sua effecit. Postea in Hermannum incensa arce Rochlicensi, insurgens, ad Imperatorem citatus fuit, qui eum Arnulpho Mersburgensi Episcopo carceri mancipandum tradidit. Inde Marchiam Fridericus Wihnefis, donec Hermannus restitueretur, rexit. Tribuunt Gunthero filium Albionem a Satellite suo interfectum: (3) Bruno qui absentibus apud Imperatorem Gunzelino & Hermanno, Marchia Misnensi præfuit. Adduntur a Brotuffio hisce Guntherii filii, Comites Mersburgenses, Esico, Bion & Bernhardus; sed de his nihil certi referre habemus.

§ VI. Eckardus Guntheri filius Ottoni II. & III. militavit, cujus beneficio Marchiam Misnensem feudi hæreditarii fide, an. 987. obtinuit Vulchaldum Episcopum, pulsus Bohemis, restituit, Boleslao Poloniae ac Bohemiae Duci, quo cum pacem colebat, stipendia solvit: Ottonem III. ex Italia, quo eum comitatus fuerat, reducem Misnae excepit. Eckardsbergam in Thuringia fundasse, Episcopatum Ziticensem, Numburgum transluisse fertur. Defuncto Ottone III. Imperium ambivit. Sed dum spe illa excideret, Paderbornam & Hieldesheimam ex itinere deflectens, regem se salutari passus est. At Northeimii, a Siffrido comite insidias sibi strui, intelligens, evadere quidem voluit; sed ab insequenti Comite, hasta per collum trajecta, occubuit, & Jenæ ab uxore Suanhilda Hermanni Billingii Ducis Saxoniae filia, sepultus est, quæ Ditmari I. Marchionis Lusatie Vidua, in cœnobio Gregoriano prope Numburgum a se condito, deinde humata fuit. Liberi sunt, qui sequuntur:

(1) Hermannus Marchia a patruele Gunzelino, ope sediciosorum civium exutus. Ast eandem, pulso Grunzelino, Imperatricis & Taymonis Archiepiscopi Mageburgensis intercessione, recepit.

pit. Boleslao Polono, qui Budissam Hermannii praesidio firmatam, occupaverat, jussu Imp. bellum indixit. Misnam copiis auctus Imp. fortiter defendit. Brunonis patris insidias effugit; Uxores habuit duas, Odiliam, Lotharii Comitis Wolmerstadenfis filiam, ab Arnulpho Mersburgensi Episcopo, quod consanguineo nupsisset, excommunicatam, & Boleslai Poloni filiam: (2) Eckardus II, de quo seq. §. (3) Guntheras, Henrico II, militans: (4) Lucearda Wernero, Wolmerstadiensi Comiti, quidem desponsata; sed eum pater illam postea elocare nollet in matrimonium, ab eodem raptam fuit.

§. VII. Eckardus II, charus initio extitit Imperatori Henrico II, cui etiam adversus Boleslaum an. 1010, militavit. Postquam vero cum Wernero Wolmerstetensi Comite, ad Boleslaum, in scio Imp. profectus, multa in eum male dixisset, gratia simul & ditionibus excidit. Quibus tamen amicorum intercessione restitutus est. Obiit an. 1046. Nati ipsi sunt

(1) Otto tenella aetate extinctus, (2) Odila, Boleslai Chabri Polono, pace cum Henrico II, Imp. facta, in matrimonium an. 1018, elocata.

NB. Ex hac, Marchionum Misnia priorum stirpe, ortos putat Brotuffius comites Plissenses, Brunonem, Ortwinum & Radbodum, qui, teste Helmoldo, acceptis quinquentis marcis, Frederico I. Imp. Altenburgum cum castris Leisnick & Colditz vendidit.

§. VIII. Redeundum nunc ad Ditmarum, alterum Ditgremi filium. Clarus hic strategemate, quo Henricum I. Imp. Aucupem cognominatum, Grunæ prope Halberstadiensem urbem, obsessum, liberavit. Fingebat enim, 30000. copiarum, in auxilium Henrico se adduxisse, quo hostes ita territi, ut statim solverent obsidionem. Hæc causa fuit, quod patriis ditionibus ab Henrico restitutus, Comes Withini, Burggravius Soraborum ac Dominus Budseziæ audiret. Bernhardo Saxoniae Duci, in Rhedarios proficiscenti, ac pralio prope Mersburgum cum Hungaris commisso, interfuit. Obiit an. 940. Uxorem habuit Willam, Comitissam Reveningensem & Nordringensem, ex qua prognati sunt, (1) Gbri

(1) Christianus, qui Marchio Lusatia ab Ottone I. constitutus, & ab Henetis interfectus, Magdeburgi tumulum habet. Ex Sigburgi Geronis I. Burggravii Magdeburgens. & Marchionis Lusatia filia, genuit (a) Geronem ArchiEpiscopum Coloniae, vivum a Successore Warino, cum ecclasi correptus esset, sepultum. (b) Ditmarum I. Marchionem Lusatia, conditorem caenobiorum Münchenburgi, Hagenrode & Dungmarsfeldia; Cui ex Suanhilda Hermanni Billingii, Saxonia Ducis, filia, iterum nati (a) Ditmarus II. Marchio Lusatia, bellis adversus Henetos gestis, clarus; pater Ottonis Marchionis Lusatia, qui Monasterium ad Salam, circa Magdeburgum, quod GRATIA DEI vocatur, exstruxit, & in praelio cum Henetis 1031. commisso, velut alii habent, in bello Polonico, telo ictus, cecidit, (B) Gero Marchio Lusatia in pugna cum Boemorum Duce Ulrico, an. 1015. conferta, occisus; Pater Ditmari (2) Theodoricus, de quo seq. §. (3) Dedo qui ludis equestribus, prope Magdeburgum, in Insula Albis, institutis, dicitur interfuisse.

§. IX. Theodoricus militavit Bernhardo Duci Saxoniae & Theodorico Marchioni Brandenburgico, adversus Slavos, Boleslao Bohemo sese quidem, cum Rochlizense & Wurzense Comitibus opposuit; prohibere tamen non potuit, quin Comitum jam nominatorum agri vastarentur. E Juditha, Bionis Comitis Mersburgensis filia, in captivitatem a Bohemis abducta, genuit

I. Fridericum Heinrico II. Imp. in primis charum; cui etiam, capto Gunzelino, Marchiam Misnensem commisit gubernandam. Extinctus ille an. 1017. sine mascula prole (filias enim ipse tribuunt Odam, Hildam & Hiddam.) II. Theodoricum, qui fratris filium, heredem scripsit, filiarumque suarum rationem habere iussit. III. Dedonem II. de quo seq. §. & ut quidam volunt, Erberbardum Comitem Ileburgicum; cui tribuitur iterum Erberbardus filius.

§. X. Dedo II. a Ridacco, Misnensi Marchione educatus, Boleslao Bojemorum Duci adversus Ottonem III. Imper. ope-

operam suam addixit, Zizenses & Mersburgenses agros depopulatus, matrem suam captivam abduxit. Reconciliatus Imperatori & inter præcipuos Duces numeratus, Bionis Mersburgensis Comitis avi materni, interim defuncti, hæreditatem una cum hæreditario Burggravii Zorbecensis titulo, obtinuit. Apud Henricum II. ac si insidias ipsi struxisset, a Beringerio Ballenstadio, falso delatus; ita indignè tulit, ut cum Burcharidi Comitis Palatini intercessione Beringerus, non ex voto Dedonis, capite plecteretur, ipse illius ditiones ad Tangermundam usque vastaret. In reditu autem, cum XX. militibus oppressus, quamvis fortiter pugnans, suis cæsis, a comite, & ipse an. 1020. interfectus est. Uxor ejus Thetburga, Marchionis Brandenburgici filia, quæ ipsi peperit

(1) Theodoricum II. (2) Thetburgam Alberti VI. Comitis Ascaniæ & Marchionis Salisquellensis uxorem; (3) Fridericum Palatinorum Saxonia Satorem, defunctum an. 1020. & cum uxore Agnete Vinariense extra templum S. Simeonis in Goëzke, ab ipsis condito, sepultum. Genuit ille

(a) Albertum, Episcopum postea Bremensem, ab Herrico III. constitutum. Monasterium S. Salvatoris Goëzense cum fratribus exstruxit, & Cathedralē Bremensem, intra 24. annos, absolvit. Frisia comitatu ab Imp. 1050. donatus, varia cum Ducibus Saxoniæ bella gessit. Episcopos 20. ordinatos, ad Aquilonores convertendos emisit. Goslarie an. 1022. mortuus, in medio templi Bremensis a se exstructi sepultus est: (b) Dedonem, qui Viduarum & Orphanorum Pater vocatus est. Hujus ductu Henricus III. Imp. multas in Ungaria urbes occupavit. Hinc Marchiam Palatii cum villa Stiermen accepit. A Clerico, quem a fratre custodiendum acceperat, equum ascensurus, vulneratus, interiit ann. 1050. Notus ipsius Fridericus, Goëzensis cænobii Abbas: (c) Fridericus, post fratrem, Comes Palatinus, Ticinum, cum, ut alii, in Henricum IV. conspirasset, missus in exilium, redux inde factus, aliquandiu vinculis detentus, tandemque liberatus, monasterio Gæzensi cur-

si Nieuendorp addidit: ubi & ad latus filii 1088. humanus
est. Genuit enim ex Hedvige Bavarica filium,
Fridericum Ludovici Saltatoris Thuringie Landgravii insidiis
& Adelheidis uxoris de Alvensleben, qua cum Ludovico con-
sueverat, instinctu, ut creditur, a duobus viris in venatione per-
emptum, qui filium reliquit impuberem Fridericum IV. Is a
Vitrico Ludovico Landgravio, qui matrem suam in matrimo-
nium duxerat, Palatinatum acriter repetiit; provocato etiam
ipso ad duellum. Tandem accepta pecunia, pradia nonnulla
& Advocatiam Gæzensem ipsi cessit. Ex filia Ducis Limbur-
gensis, reliquit, (α) Henricum, in juventute extinctum, & Sul-
ze sepultum, (β) Fridericum Canonicum Magdeburgensem,
& post fratris obitum, Frizzonis comitis filia maritum, qui
Northeri Archipresulis Magdeburgici execrationibus terri-
tus, armisque depositis, monachus factus est. Nata ipsi fuerat
Sophia uxor Hermanni Thuringie Landgravii, cui Frideri-
Barbarossa 1181. Palatinatum contulerat. Ansea vero
Fridericis, II. exule, III. occiso, quarto adhuc tenello,
Fridericus Summersburgius, Friderici I. ex Uda Alberto Sum-
mersburgio elocata nepte, Palatinatum occupaverat. A cu-
jus familia ad Henricum Leonem, hocque ex auctoritate, ad Her-
mannum Thuringie Landgravium pervenit, ac tandem ad Wi-
thinensium familiam iterum devolutus est,

§. XI. Theodoricus II. defuncto patruo, Friderico Misnensi
Burggravio, possessiones ejus, comitatum Heburgicum & ar-
cem Sufelitziam, consentiente Henrico II. Imper. hæreditario
jure obtinuit. Marchionatum Landsbergensem quoque, pre-
cibus Imperatricis Kunigundæ, obtinuit, ac bello a Maficone
& Boleslao exule, Bojemis, pro recuperanda hæreditate, gesto,
interfuit. E Mechtildi Eckardi I, Minisniæ Marchionis filia
nactus est

(1) Fridericum, Episcopum Monasteriensem, & ne Magdeburgicus
quoque fieret, ab Henrico IV. Imp. impeditus fuit. Magde-
burgica Ecclesia, decem jugera agri; Monasteriensis, Gerb-
stedio

Mediana pradia, ex patria hereditate disasse fertur: Mona-
stevii, in aede D. Mauricii, extra urbem in monte sita sepultus.
(2) Dedonem, post obitum Ottonis, Marchionem Lusatiae. Is
in matrimonio Adelam, Ottonis Orlamundani Marchionis
Thuringiae, viduam habuit. Cumque frustra ejus mariti
possessiones experisset; uxoris instinctu, belli aliam cum sociis
Thuringis, sed infauso omine subiit. Ditiones enim illi ab
Imperatore Henrico IV. erepta, & ipse captus, in vinculis ali-
quandiu basit. Tandem dimissus, parte possessionum exci-
dit. Ex decreto in Henricum, a Saxonibus in Nocmerslebi-
ano conventu an. 1056. facto, Hartesburgum obsedit: Recon-
ciliatum, Imperatori fidelem operam prestavit: Demetrium
Ruthenorum regem regno pulsum jussus restituere, manifesto
(in Russia) periculo, Imperatoris dolo, objicitur. Ipso inde ex-
tincto, utramque Marchiam Misniae & Lusatiae Wratislao Bo-
morum regi in premium exacta militie, rejecta Ade-
le Vidua protestatione, donatam confirmavit. Ex pri-
ori uxore Oda Marggravia Orlemundensi & Vinariensi ge-
nuit

(1) Dedonem, qui a partibus Henrici IV. Imp. stans, acriter
patrem persecutus est. Cum corpus exoneraret, ab occulto
forte obnovercam, insidiatore confossus obiit, 1069. in medio
templi Cathedralis Misnae sepultus; (2) Adelbeidem, uxorem
Ernesti Marchionis Austriae; (3) Agnetem, nuptam Frideri-
co Palatino. Ex altera, Adelheide Bmbantina Henrici &
Reineri comitum Lovanensium sorore, Ottonis Orlamunden-
sis, Thuringiae Marchionis vidua, habuit

(1) Dedonem in pueritia extinctum (2) Conradum Lands-
bergensem & Brandenburgicum Marchionem, in bello Ruthe-
norum an. 1056. occisum, patrem ex Adelheide Guelpbi IV.
Ducis Bavariae filia, Gertrudis, uxoris Ortolphi Ducis Saxoniae
& postmodum Friderici Burggravii Norimbergensis; (3)
Henricum Seniozem Misniae & Lusatiae Marchionem; ab
Henrico IV. qui Marchias Wratislao Bojemo dederat, Misnia
C. pul-

pulsus 1075. restitutum vero in pristinum ab Eckberto II. Marchione Saxonie 1076. postquam e custodia evasisset. Secunda vero vice an. 1088. a Wratislao, qui urbem occupaverat, pulsus; denuo etiam urbem recepit. Bennoni Episcopo, bona Ecclesiastica ab Imp. alienata repetenti, in ponte arcis colaphum impexit. Anno seq. qui est vel 1103. vel 1106. eodem die extinctus, e Gertrude Henrici Pinguis, Ducis Brunswicensis filia reliquit filium; HENRICUM JUNIOREM, Marchionem Misnie & Lusatia, qui Lotharii Saxonum Ducis auxilio, Misniam, pulso Wichberto, an. 1126. recuperavit. Idem, Conradum Thimonis filium, qui ipsum, eo quod posthumus esset, Coci filium vocaverat, captum, Kirchbergi in ferreo cubili usque ad mortem captivum tenuit. Deinde Theodoricus genuit GERONEM, qui in diuturno illo belli Saxonici tumultu, cum filiis in locum obscurum secessit. Filii vero ejus ex Bertba Groizensi Comitissa, Poponis Viperenfis Vidua, (cujus erat Rammelburgum arx in Hercyniis) nati Theodoricus & Wilhelmus, cum patrie mala indies viderent augeri, succurrendum ei putarunt. Itaque contractis copiis eo adegerunt Imperatorem, ut Saxonie Principes captivos dimitteret, exacto prius ab ipsis juramento, quod Comites Brenenses juvare nollent. In hos ergo postea movit; cum illi septem millia equitum Imperatori, auxilio misissent. Sed ante pugnam Theodoricus prope Fladenheim, ad Imperatorem transiit; Wilhelmus autem in Melrichstadiano praelio, acriter nimis in hostes invehens, ab Eberhardo captus, a Saxonibus postea ipsi in auxilium accurrentibus liberatus fuit. GERO Guntberum Episcopum Naumburgensem; Willam Abbatisam Gerbstetensem; & Teiburgam prepositura Gernrodensi prefectam genuit. Porro filios habuit THIMONEM, de quo sequ. §. & CONRADUM Burggnavium Soraborum, in Calabria extinctum; postquam ex Adela Comitissae Catzellenburgii sorore, Gertrudis seu Bertrada, Beringeri Sangersbusii Comitissae in Thuringia uxoris, patrens factus esset: Inde genuit RIDDACUM, mox defunctum;

*Etiam; Et tandem HILDAM (alii Hiddam) Zuanto, Duci
Bohemie, desponsatam.*

§. XIII. THIMO in aula Henrici IV. educatus, postquam
ut fertur, puerum, a quo verberare irritatus fuerat, interfecisset;
Imperatori in bello Saxonico militavit, eoque meruit, ut De-
done fratre defuncto, Marchio Misniæ constitueretur. Quan-
quam illam dignitatem non obtineret, quod jam Wipertus
Groizensis Wratislao succedens, eam occupasset. Hanc ta-
men postea Conradus, Thimonis filius obtinuit. Thimo ve-
ro in eruptione militum, qui vicinam arcem forte obsederant
an. 1091. telo ictus occubuit, atque prope Bitterfeldam, in cœ-
nobio, a se extrui cœpto, sepultus est. Ejus ex Utha seu Ida
Ottonis Comitis de Northeim filia, liberi sunt,

(1) DEDO, fundator monasterii Montis-Sereni, quod ad finem per-
duxit frater ejus Conradus. In terram S. profectus ex voto,
quod uxore repudiata, & Episcoporum suaserat, fecerat,
in itinere mortuus est. Filia ipsi ex Bertha Wipperti Comitis
Groizensis Senioris nata tribuitur; item Mechtildis Radbodo
seu Rulando advocato Bambergensi nupta: (2) CONRADUS,
de quo scq. §. (3) MATHILDIS Geroni Comiti Seebur-
gensi in Bavaria, & post hunc, Ludovico de Bavaria in matri-
monium data.

§. XIV. CONRADUS Thimonis filius, a Nissa fluvio Lu-
satiæ usque ad Salam Thuringiæ imperavit. Titulo usus est
Marchionis Misniæ, Lusatia, Osterlandia, Landsbergi, Zor-
becæ, Comitis Withini, Leusnicii, Brenæ, Ileburgi, Groizæ &
Rochlitzii. Post Henrici junioris Misniæ Marchionis obitum,
qui, quod illum Coci filium appellasset, in vinculis detentus
fuerat, ditiones obtinuit. Lusatiam quoque inferiorem, &
partem Superioris, Henrico Groizense defuncto accepit: Cæ-
tera, quæ Budissinensi circulo, & reliquis Bohemiæ vicinis dy-
nastiis continentur, Bojemis cedere. Possessiones quoq; Hen-
rici Groizensis ad Plissam & Elistram nactus est, & templum
Montis-Sereni, a fratre inchoatum, perfecit. Cum Reinardo,
præsule Misnense, de quibusdam circa Nissam villis, conten-
dit,

dit. in terram Sanctam an. 1146. profectus, amisit Lucardam uxorem, quæ post venæ sectionem, ob denegatam sibi a Meinhero Montis - Sereni præposito molam, morbum lethalem contraxerat. Hæc Gerbstadii primum, ab Hojero vero Mansfeldico Comite. postea eruta, in Montis - Sereni templo D. Petri sepulta est. Bellum inter Boleslaum, Micislaum & Uladislaum composuit Conradus. Provincias præsentibus, Alberto genero & Wichmanno Archipræsule Magdeburgico, inter filios distribuit, armisq; & insignibus in Misnensi templo, depositis, Montis - Sereni Cœnobium ingressus est. Ubi elapsis duobus mensibus & quinque diebus an. 1156, diem obiit. Ex Leucarda, filia Alberti Suevi genuit

I. OTTONEM, de quo seq. §. II. THEODORICUM Friderici Barbarossæ castra secutum; cujus, cum ab Alexandro III. Papa Rom. collum pedibus (ut vulgo creditur) conculcatur, is facinus exprobrasse Papæ dicitur. Henricum Leonem proscriptum, ad duellum provocavit. Dobrolucæ in Lusatia monasterium, nec non castrum Landsberg & oppidum Schildam condidit. Sepultus est in Monte-Sereno, cum prima uxore Dabrogena, Meiconis Poloni Sorore: ex qua natus CONRADUS inter ludos equestres in Austria, lancea trajectus, ac ideo diu sepultura prohibitus fuit; donec tandem precibus parentum, impetraret sepulchrum. Filia fuit GERTRUDIS monialis Gerbstedensis: Ex altera uxore CUNIGUNDA, comitissa Pleissenfi, THEODORICUS natus, qui Mersburgensis Episcopus factus est. Partem hujus ditionum OTTO Misnensis Marchio, partem DEDO, frater ejus accepit: III. HERMANNUM, Bambergensem Episcopum, ann. 1177. d. 12. Jun. & in cœnobio monialium ad S. Theodorum a se fundato, sepultum. IV. DEDONEM, crassum a pinguedine corporis dictum, fundatorem monasterii Cellensis, qui Comes Henrici IV. Imp. in Apuliã ducendæ uxoris gratia proficiscentis, in itinere obiit an. 1190. in Cellensi cœnobio sepultus. Is ex Mechtilde de Hammelsburg, Goswini Comitis Mersburgensis filia genuit (1.) Theodoricum, Magnum primum præpositum Magdeburg-

burgensem, postmodum Comitem Palatinum & Summers-
burgensem. Hic tutor Ulrici Withinensis, pecuniam pro uxo-
re & filio in Monte-Sereno ab eo depositam, abstulit. Herbi-
polim a Philippo Imp. evocatus, oppetiit an. 1207. Nuptias
fratris filiae Mechtildi in castro suo Groiz fecit. Ex Mechtilde,
Ludovici Thuringiae Landgravii filia genuit (1) Agnetem, an.
C. 1204. defunctam: (2.) Philippum, postmodum praepositum
Xantonensem & praefectum Ordinis Teutonici Johann. (3.)
Goswinum & (4.) Henricum, in pueritia extinctum: (5.)
Conradum, Marchionem Orientalem seu Lusatiae, literis Lute-
tiae Parisiorum excultum. Qui tumultus ibidem studiosorum in
cives ruentium autor, canonicum quod dicebatur, studium
deseruit. Fuit Advocatus Pegaviensis, & Laubus, castrum,
Vratislai Ducis Poloniae Soceri, pulso duce fortiter
expugnavit: an. 1210. mortuus, in monasterio Cellensi con-
ditur. Ex Elisabetha Vratislai jam dicti filia, progenuit (a)
CONRADUM Comitem Rochlizensem & Brenensem, cujus u-
xor Elisabetha Alberti I. Saxoniae Ducis Ascanii filia, ad Asca-
nios comitatum Brenensem transtulit. Marchiam ab Ottone
IV. Imperatore Theodoricus Wittinensis, Ottonis Divitis filius
emit: (b) AGNETEM Henrico Palatino ad Rhenum in ma-
trimonium elecatam: (c) MECHTILDIN, Alberto Bran-
denburgico in Castro Groiz nuptam. Hinc V. HENRICUM,
cognomento Seniozem; qui praeposito Montis-Sereni mole-
stus, fratrem Ottonem, loci advocatum, in se concitavit. Uxo-
rem duxerat Sophiam Leopoldi VI. Ducis Bavariae filiam, cu-
jus frater Henricus, nudos in lecto aggressus, Sophiam omni
doti renuntiare coegit. Proles ejus fuere, HENRICUS, an. 1182.
vita defunctus: CONRADUS, in infantia denatus: ULRICUS,
qui praeposito Montis-Sereni calicem aureum, mutuo sum-
tum, Judaeisque oppignorum, & in ipsorum persecutione
an. 1205. Halae amissum, molendinum Torganum concessit:
Vivis postea ereptus, Withinian. 1206. sepulturam invenit. Ex
Hedwige Anhaltina, Bernardi Ducis Saxoniae filia, parens
Henrici factus, qui calculi doloribus ab ineunte aetate ad mor-

tem usque laboravit, an. 1217. exspiravit. VI. FRIDERICUM, Brenæ comitem & ad Zsopæ ostium cœnobii an. 1181. conditorem. Uxor ejus Hedwigis, Dipoldi Ducis Bohemiæ filia, Brenæ, quod Eckardus præpositus, in Monte-Sereno, ipsi nollet permittere ædificii constructionem, monialium condidit cœnobium, ubi & an. 1210. sepulta fuit. Ex hac nati (1) OTTO, qui Bohemorum & Thuringorum a nuntio Apostolico, quod Ludolphum Magdeburgensem præsulem ad Ottonis IV. partes pertrahere non posset, in Misniam evocatorum 4000. ad Vonnam fl. haut procul Castro Landsberg, partim interfecit, partim fugavit. Mortuus an. 1203. Brenæ sepulturam nactus est. (2) SOPHIA Quedlinburgensis Abbatissa, ab Henrico Ascanio & Hojero Falckenstenio, apud Imperatorem, ac si ex raptis viventes Quedlinburgi aleret, falso accusata an. 1224. dignitate exuta fuit; sed anno sequenti, cognita ipsius innocentia, in integrum restituta est. (3) FRIDERICUS, in Obsidione Ptolomaidis, quo Fridericum Barbarossam, cum nobilibus Brenensibus comitatus erat, vulneratus, & Templariorum Ordini adscriptus, obiit an. 1221. Fuerat ipse ex Juditha Ludovici IV. Thuring. Landgravii filia genitor Ottonis, THEODORICI & duarum filiarum Eugenix & Hedvigis. VII. BERTHAM abbatissam in Gerbsted. VIII. GERTRUDIM, Hermanni Palatini ad Rhenum uxorem & cœnobii S. Theodori Bambergæ fundatricem. IX. ADELHEIDEM seu ADELAM primo Suenonis, Regis Daniæ filii, & deinde Alberti Ursi, Marchionis Brandenburgici, uxorem. X. SOPHIAM, Gerhardi, Ducis Baviariæ uxorem: XI. ODAM abbatissam in Gerbsted, & XII. AGNETEM abbatissam Quedlinburgensem.

§. XV. OTTO Conradi Pii Filius, DIVES dictus ab opibus e metallorum fodinis Freibergæ per aurigam Bojemicum Hala, per montes illos, salem vehementem detectis. Is Veterocellense monasterium an. 1175. & Risgam seu Rosvinum oppidulum cum pagis diœceseos Veterocellenfis, Christiansdorff/Lusitz seu Lositz, ubi metalli fodinas esse compererat, commutavit. Lipsiam inchoatam ab Henrico Aucupe, manibus circum-

cum dedisse fertur. Comitibus Würzburgi an. 1180. habitis, in quibus Henricus Leo proscriptus, feudisque suis privatus est, una cum fratre Dieterico interfuit. In Thuringia plurimas arces invito Ludovico V. Landgraviō cōemit. Igitur ab eo interceptus, Magdeburgi primum, ac inde Warthenbergæ vinculis detentus est; donec Friderici Imp. jussu iterum liberaretur. Cum Theodorico juniori Marchiam Misnensem destinasset; Ab Alberto majori natu, ex insidiis Bernhardi Brandenburgici & Conradi Lusatix Marchionis, ut creditur, instinctu captus, Dibenæ carceri mandatur. Postea Friderici Imperatoris autoritate liberatus, diem suam obiit an. 1189. Ex Alberti Ursi Marchionis Brandenburgici filia Hedvige suscepit (1) ALBERTUM cognomine Superbum, qui patre defuncto, fratrem quoque laceffivit, ac metallorum proventus interceptit. Ab Hermanno autem Thuringix Landgraviō, cujus filiam Jutham Theodoricus in matrimonium duxerat ad Weissenfelsum ann. 1194. profligatus est, & vulnerato equo usque in Montem-Serenum, & inde cucullo circumdatus, ne cognosceretur, Lipsiam fugit. Ad Imperatorem in Apuliam inde profectus non frustra tantum auxilium petiit, sed & insidiis Henrici, a quo venenum ipsi propinatum fuisse existimatur, in itinere villa scil. Henrichsdorfiana, periit an. 1195. sepultus cum uxore Sophia, Ducissa Bohemix, in monasterio Vetrocellense. Ditiones ipsius occupatas ultra triennium Henricus IV. Imp. per vicarios administravit: (2) THEODORICUM, de quo seq. §. (3) ADELAM Premislao, Bohemix Duci nuptam: quæ, quod frater ejus, Philippo contra Ottonem IV. cui ipsi favebat, auxilium tulisset, repudiata fuit.

§. XVI. THEODORICUS, aberat in Palæstina, dum frater Albertus decederet. Hinc cum Henricus VI. Imperator metalli fodinis inhiaret, ideoque ei insidias strueret; utre inclusus in navem delatus, insidias evasit. Redux factus ditiones patrias recuperavit. Cæterum dum Philippo utpote potentiori magis studuit, (quem etiam Hermanno Socero, ipsi primum

mum nimis infenso, reconciliavit) Premislaum affinem ultu-
 rus, permovit Philippum Imper. ut regnum ejus in Theobal-
 dum juvenem, transferret. Ast graviter ideo Premislaus in
 Philippum & Marchionem sævit. Post varias turbas, e vita
 an. 1210. seu 1222. discessit. Conditor cœnobiorum Lipsiæ D.
 Thomæ, Misnæ, S. Crucis, sepuleus Vetero. Cellæ. Liberi ejus
 fuere I. THEODORICUS, II. OTTO, & III. CONRADUS
 impuberes extincti: IV. HENRICUS præpositus Misnensis:
 V. HENRICUS ILLUSTRIS, de quo, seq. Sectione. VI.
 GUTTA seu JUTTA, VII. HEDVIGIS, VIII. SOPHIA, iti-
 dem impuberes extinctæ.

SECTIONIS II.

Quæ est

*De Thuringia et antiquorum ac recentio-
 rum Marchionum Misniæ
 Statu,*

CAPUT I.

ejusque

ARGUMENTUM.

§. (1) Thuringia fines antiqui. (2) Thuringia regnum; primus
 ejusdem Rex. (3) Rex secundus Basfinus. (4) Filii hujus Ba-
 dericus, Bertharius & Hermenfredus: Bellum Thuringicum.
 (5) & (6) Duces Thuringia, (7) Hunnorum irruptiones:
 Duces Thuringia & Marchiones, (8) Vicedomini Thurin-
 gie: Moguntini nullum jus in Thuringiam. (9) Ludovici
 Barbatæ Vicedomini vita: (10) item Ludovici II. (11) Lu-
 dovici III. primi ex his, Landgravii. (12) Ludovici IV. Ferrei:
 (13) Ludovici V. seu Mitis: (14) Hermanni. (15) Ludovi-
 ci VI. (16) Henrici Raspanis: (17) Bellum de Thuringia in-
 ter

ter

ter Henricum Brabantinum, & Henricum Illustrum Misnia
Marchionem.

§. I.

CUM magna terrarum Thuringicarum accessione auctus fuerit Henricus Marchio; pretium operæ videtur fore, si de Thuringiæ statu antiquo, quædam adferamus. Neque tamē scrutabimur nominis & gentis Thuringicæ origines, cum de illis accurate satis Celeberrimus Dn. D. Sagittarius, in libro, qui, *Antiquitatum Thuringicarum* præferebat titulum, agerit. Fines tantum attingemus, qui olim Hassiam & magnam partem Saxoniam Inferioris complexi sunt, Helmstadium & Magdeburgum contingentes.

§. II. Thuringiam Reges olim habuisse, dubio caret; quamvis a primis Christiani nati temporibus, accurate recenseri nequeant; Cum ante quartum Seculum, Thuringorum nulla mentio fiat. Illis igitur assentiri malim, qui primum Regem Thuringorum Chlodionem Crinitum, Franciæ etiam regnum, tenentem nominant. Hunc enim Thuringiam invasisse, acceptoque sub suam potestatem Dispurgo castro, cujus in Montensis comitatus oppido Duisburgo vestigia supersunt, emisisse Cameracum exploratores, ac demum plane in Galliam ulteriorem sese effudisse, constat. Chlodioni successit Merovæus, liberorum ejus tutor & forte cognatus. Quo electo, viduam Chlodionis in Thuringiam confugisse cum pupillis, perhibetur. Cæterum Merovæum Northusæ & Martisburgi conditorem, nonnulli minus accurate tradunt. Neque certioris fidei sunt ea, quæ de Attilæ in has terras adventu atque regimine scribuntur.

§. III. Postmodum Thuringos quarto seculo currente, BASSINUS, quem recentiores Successorem Attilæ nominant, gubernavit. Huic uxor erat Bassina, quæ Childericum Francorum regem, in regnum, ex quo ob dissolutos mores ante depulsus in Thuringiam confugerat, revocatum, marito suo derelicto, secuta est. Inde prodiit CLODOVÆUS, qui bellum cum Thuringis gessit, eosque sibi tributarios fecit, ac Sueviam

D

& Ale-

& Alemanniam quoque subjugavit. Defuncto successere Theodoricus, Metensibus, Chlodamirus Aurelianis, Chlotarius Sueffonibus, & Childebertus Parisiis præfecti.

§. IV. BASSINUM vero tres ejus filii exceperunt, BADERICUS, BERTARIUS & HERMENFREDUS. Hic Amalbergæ conjugis instinctu, fratrum vitæ, quo solus regnaret, insidiatus est. Bertharius statim e medio sublatus: Badericus vero Theodorici Austrasiæ regis ope fusus & interfectus est. Cum autem contra pacti fidem, promissam fraternæ possessionis dimidium negaret Theodorico, Hermenfredus, regno exutus & captivus inter mutuos sermones, de muris Tulbiacensibus præcipitatus legitur. Amalberga confugit in Italiam ad Theobaldum fratrem. Abducti etiam simul ex liberis, Amalfridus & filia in aula Athalarici, Theobaldi & Vitigis, Ravennæ educati, tandem Constantinopolim, cum Vitiges Bellisario se dedere an. 597. cogeretur, venerunt. Amalfridus Romanis militibus præfectus, in prælio cum Gepidis commisso, fortissime pugnavit. Soror Audoino, Longobardorum regi desponsata est. De Bertharii posteritate constat, filium ejus aliquem a Lothario Sueffonum rege, interfectum; Rade Gundim vero filiam, quam cum præda abduxerat, in matrimonium ductam. Hæc S. Crucis, in Pictaviensi urbe cœnobium fundavit; bonisque adeo operibus ut vocantur, operam dedit, ut nuda pedibus incederet, in terra cubaret, splendorem regium plane aspernata. Venantio tamen Fortunato, qui de excidio Regni Thuringici, carmen conscripsit, familiariter usa est.

§. V. Thuringia post hæc in duas partes divisa, Francis, quæ ultra Unstrutam Rhenum versus extenditur; & Saxonibus, quæ cis Unstrutam, fluvium Salam contingit, cessit. Saxones, cum, plurimis suorum amissis, totam sua gente regionem implere nequirent; veteribus Colonis, accepto tributo eam inhabitare permiserunt. Hinc & Thuringiæ nomen adhuc superest. Ast Saxones trans Unstrutam sæpissime excurrentes, a Francorum regibus iterum Thuringiæ imperio privati, tributarii

tarii facti sunt. Hinc Francorum Reges diu Thuringiæ do-
mini; donec ut Autor de Landgraviis habet, ad Henricum
Aucupem Ducatus Thuringiæ rediret. Dolendum vero quod
hac de re pauca majorum testimonia suppetant.

§. VI. Cæterum sub Ludovico III. Germanici filio, Pii
nepote, qui inter alia Thuringiam ex paternis provinciis na-
ctus erat, Comes Thuringiæ Poppo, ex Hennebergico ut vide-
tur, stemmate natus, victoria, quam an. 880. de Slavis reporta-
verat, inclaruit. Hic cum fratre Henrico & Eginone Comite,
belli inter Saxones & Thuringos, quo hi cæsi sunt, autor exti-
tit. A Carolo Crasso, Ludovici successore, primus Thuringi-
æ Dux, (alii Ludovico, Caroli Crassi consanguineo id per-
peram tribuunt) constitutus est. At ipso rursus postmodum
ea dignitate exuto, Conradus, & mox Burchardus successi
sunt.

§. VII. Hujus tempore Hunni Germaniam invaserunt.
Cumque Ludovicus IV. Imp. fugatus ab ipsis, vix Passaviam
evasisset, per Franconiam & Voigtlandiam in Thuringiam
quoque irruerunt. Burchardus ad Isenacum illis se oppo-
nens, cecidit. Quo facto, barbara feritate sævientes, crude-
lissimè Thuringiam devastarunt, tantumque cunctis terrorem
incusserunt, ut nemo spem in lacertis, sed in pedibus omnes
collocarent, sylvarum latebras quærentes. Plurimæ tum
arces atque propugnacula in saltibus cœperunt condi. Inter-
fecto Burchardo, Thuringiæ gubernatio Ottoni Saxonix Du-
ci ab Imperatore permissa est. Filius Ottonis, Henricus, post-
ea Imper. tanquam hæreditariam provinciam sibi Thuringi-
am, vindicavit. Et filius ejus Otto I. vivo adhuc parente, dux
Thuringiæ nominatus dicitur. Henrico Imperatori Palatina-
tus & Marchionatus Thuringici initia quoque adscribuntur.
Primus Marchio traditur fuisse Guntherus, Comes Pleissensis,
vel Libonotrix. Interemto autem Eckardo I. ejus filio, in
pugna cum Luticiis an. 1056. conferta, Wilhelmus I. & Wil-
helmus II. eandem tenuerunt. Hinc penes duos Ottones, pa-
trem & filium cognatos Henrici IV, Imperatoris fuit. Quam

Otto Wilhelmi frater ex Bojemia, ubi exulaverat redux, a Brunone & Ecberto Marchionibus Saxoniae repetens, dum ad conventum Eisenbergensem proficiscitur an. 1057. interfectus est. Inde ad Wilhelmum III. pervenit; qui Andream Hungariae Regi, contra Belam, in auxilium missus, fame forte coactus in hostium potestatem venit. Indole autem atque virtute sua, tantam apud omnes sui admirationem peperit, ut filiam ipsi Jojadam Bela Rex desponderet. Domum igitur sponsam deducturus morbo correptus, an. 1062. obiit. Surrogatus in locum ejus Otto frater, qui Moguntino primus decimas dare permisit. Ideoque odiosus genti factus, non sine omnium gaudio, an. 1062. vitam finiit. Viduam hujus Adelam, Dedo II. Withinensis in matrimonium accepit, qui dum Ottonis peteret possessiones, suas quoque amisit. Dederat enim Marchiam Thuringiacam Ecberto I. Imp. Henricus IV. Ejus filio Ecberto II. sine prole extincto, Henricus V. Imp. haut dubie illam tenuit; donec Lotharius improlis, Ludovico III. Vicedomino, sub Landgravii titulo eandem conferret.

§. VIII. OTTO igitur primus & posteri ejus, Thuringiam per Vicarios rexerunt. Primi fuerunt Güntherus & Eccardus in Australi parte; Lotharius & Wirinarius in North-Thuringia; & inde reliqui forte Marchiones. Sub Henrico enim II. Ottonis III. Successore, comitatus in Thuringia & Saxonia jure hæreditario possideri cœpisse traditur. Item, quod laudatus Imperator tributum 300. suum & pannorum Thuringis etiam remiserit. CONRADUS SALIVUS, aulae suae praefectum Ludovicum Barbatum, (qui aliquot in Thuringia circa Reinhardsbornum agros a Gleichense & Kefernburgico emerat,) Vicedominum constituit. Hic observant aliqui, Wilhelmum Ottonis I. filium, nullam Moguntinis Praesulibus in Thuringiam jurisdictionem acquisivisse. Quapropter etiam Thuringi Moguntino decimas dare, constanter recusarunt.

§. IX. WICHMANNI filii Bardonis, fratris Ludovici, (qui a barba Barbatus audit) hæres bonorum ex consensu Imperatoris, Ludovicus extitit. Qui cum Cæcilia, Comitissa Sangers-

gershusana uxore' partem istius terræ, in dotem accepit, genuit (1) LUDOVICUM SALTATOREM, de quo seq. §. (2) BERNIGERUM, comitem Sangershusanum: Hic ex Gertrude Conradi Marchionis Landsbergenfis & comitis Withini filia suscepit Conradum, arcis Honsteinæ conditorem, qui cum prolem non haberet, Ludovico patruo Sangershusanum Comitatum vendidit, ac Sororis Jutæ filium Berengarum hæredem scripsit: (3) HENRICUM conditorem arcis Raspenberg ejusq; comitem: (4) HILDEGARDIM primum Comiti Hennebergico Popponi; deinde Thimoni Comiti a Nordeck, nuptam: (5) JUTAM, Ludovici comitis in Linderbeck & Beilstein uxorem: (6) ADELHEIDIM, Comitis Wipræ in Hercyniis, uxorem; vel, ut alii volunt, monialem.

§. X. LUDOVICUS II. Barbati filius, Adelheidim Friderici III. Palatini Saxonæ Uxorem deperiens, eo vel interfecto, vel placida morte extinctum, Adelheidim viduam duxit uxorem. Adelberti aures Bremensis ArchiEpiscopi instinctu vinculis in arce Gibichstein per biennium fere captivus detentus fuit. Tandem dispositis ad fugam equis, & prælongiori veste indutus, in Salam se dedit præcipitem, exceptusque a piscatoribus & equo impositus, incolumis evasit. Romam ut fertur, homicidii admissi veniam, ut peteret profectus est; cum rediisset, Reinhardsbrunnæ monasterium exstruxit. Henrico V. Imp. cum aliis Principibus infestus, Valramo Magdeburgico Antistiti, qui ad partes Henrici eum perducere moliebatur, hacque de causa in literis ad eum datis, Serenissimum ipsum Principem appellabat, ignominiose respondit. In Colloquio Barnstedæ, cum Wipperto Groizense & Sigfrido Orlamundense comitibus habito, ab Hojero Mansfeldico duce Imperatoris in vasus, vix fuga se subduxit. Mox tamen ab Hojero captivus, Imperatori traditus, sed filiorum Ludovici & Henrici Rasponis auxilio liberatus est. Friderico privigno, cum quo hæctenus ipsi certamen de patris ipsius possessionibus fuerat, ære satisfacit, ac Wartenberg castrum & urbem Friburg condidit. Monachus

tandem Reinhardsbrunnæ factus, an. 1123. obiit, in Basilica B. Virginis sepultus. Ex Adelheide genuit

- (1) LUDOVICUM III. de quo seq. §. (2) UDONEM seu OTTONEM Episcopum Numburgensem, de quo Pars. II. (3) CONRADUM, (4) HENRICUM RAPSONEM an. 1226. defunctum & Reichardsborne sepultum: (5) HERMANNUM, conditorem Hammersteinii & Hammerslebi, ab Henrico V. Imp. captum, & in vinculis ann. 1114. extinctum: (6) CUNIGUNDEM, que uxor Dedonis, comitis Wihiniensis, velut alii volunt, Wichmanni de Saxonia, & fundatricem cænobii Regularium in Kalteborn fuit: (7) ADELHEIDAM conjugis Ulrici comitis Vinariensis: (8) CÆCILIAM Gerlaco comiti de Waldensee, qui est tractus Dessaviensis, in matrimonium elocatum.

§. XI. LUDOVICUS III. primus Thuringiæ Landgravius ex hac familia extitit. Quanquam Landgravius minori præditos potestate ante hunc fuisse, valde probabile est; sub Henrico tamen Aucupe Reinerus comes provincialis Thuringiæ in Catalogo Procerum Germaniæ, qui equestri pugnæ Mersburgæ interfuerunt, legitur, Hermanus quoq; de Wünzenburg vocatur provincialis comes, qui Hermanno a Lachow, Lotharii Consiliario ex insidiis interfecto, dignitate hac exutus fuit. Hanc cum Marchionatu atque summa in omnes terræ illius Comites, Nobiles, diœceses, ac urbes Erfurtum, Mülfusam atque Northusam, potestate, ex Lotharii Imp. concessione accepit Ludovicus, Thuringiæ Vicedominus. Et sicut Marchiones olim ab Imperatoribus feuda recognoscebant; Ita a Landgraviis comites Stollbergensis, Gleichensis Schwarzburgicus, Mansfeldensis, Hohensteinius dynastias suas jure fiduciario obtinuisse perhibentur. Obiit Ludovicus ann. 1140. cum ex Hedvige, Lotharii Imperatoris filia, natus esset,

- (1) LUDOVICUM IV. cognomine FERREUM, de quo seq. §.
(2) HENRICUM RAPSONEM in pueritia mortuum:
(3) LUDOVICUM JUNIOREM, dominum arcis a se
funs.

fundata Thomesbrücken: (4) MECHTILDIM, uxorem
Dieterici Comitis Wubinensis: (5) GUTAM (alio Cacili-
am) Vladislao Boemia regi an. 1153. nuptam: (6) ADEL-
HEIDIM, Abbatissam Isenaci in Cœnobio S. Nicolai a se
condito.

§. XII. LUDOVICUS IV. a perpetuo lorice indumen-
to FERREUS cognominatus est. Verebatur enim insidias no-
bilium, quos propter contumaciam jugo aratri submiserat,
ideo semper armatus incedebat. Muros Erfordie in gratiam
Imperatoris Friderici, & propter contemptum Conradi Mo-
guntini, qui Papæ contra Imperatorem adhærebat, destruxit.
Henricum Leonem severe persecutus est. Fridericum Imp. in
Poloniam comitatus est an. 1120. Ejus Uxor Juditha Conra-
dii, Imp. filia, arcem Weiffensehensem illo absente, exædifi-
casse fertur. Numburgi an. 1172. vita excessit. Reinhards-
brunnam usque a Nobilibus deportatus, ibidem sepultus est.
Liberos reliquit

(1) LUDOVICUM V. de quo seq. §. (2) HERMANNUM,
de quo §. XIV. (3) FRIDERICUM Comitem in Zigen-
bain: (4) HENRICUM dominum in Raspenberg, ferocis
ingenii principem, qui parens factus est (α) JUDITÆ,
uxoris Friderici Comitis Brena, & (β) GOZMANNI, Co-
mitis in Zigenbain: (5) JUTTAM, vel ut alii volunt, SO-
PHIAM Bernhardi Ducis Saxonie & Ascanie Comitis
uxorem.

§. XIII. LUDOVICUS V. ab humanitate MITIS co-
gnominatus, Erfurdenses Erwini Swarzburgici instinctu con-
tumaces, an. 1125. compescuit, triaque prædicti comitis castella
destruxit. Henrico Leoni proscripto munimentum Aldeslef
in Saxonia ademit. Ab eodem vero, occurrens ipsi cum fra-
tre ad Königs-Northusen, quam cremaverat, an. 1187. captus
est. Cum vero Imperator in Henricum movens, Bruns-
wigam & Bardewicum a tergo munivisset; Luneburgo, ubi
servabantur, Sigisburgum translatis, tandem ut pacis media-
tores essent, an. 1182. dimissi sunt. In Comitibus Moguntinis
Abba-

Abbati Fuldensi, contra Coloniensem, cum quo concertabat, aditit. Moguntino infestus aliquot ipsi clades intulit. Quam contentionem Henricus, filius Imperatoris, compositurus, proficiscens in Poloniam, Erfordiam divertisse dicitur. Eodem in cœnaculo multis principibus præsentibus sedente, parimentum rupit, multiq; in cloacam lapsi, partim suffocati partim difficulter reducti sunt. An. 1186. lis cum Moguntino denuo recruduit. Inde devastatis agris, castra circa Heiligenbergam & Grünbergam Moguntinus & Landgravius posuere. Bernardi Anhaltini Saxonix Ducis, terras ad Salam usque Ludovicus depopulabatur. Sed in honorem S. Georgii templum Isenaci extruxit. In terram S. cum Friderico profectus, prælio cum Saladino prope Accon commisso interfuit. Ubi S. Georgiū, cum vexillo rubro ipsi in periculo constituto adparuisse & dixisse; *in hoc signo vinces*, aliqui ajunt. Obiit in Syria absque prole an. 1192. Ossa ejus inde Reinhardsbrunnam in monumentum suum translata sunt. Uxores habuit duas: Prima fuit Margaretha, (aliis Elisabetha,) Leopoldi Ducis Austriæ filia, sed ob sanguinis propinquitatem repudiata: Altera Sophia Woldemari vidua, propter filii cum Friderico Imp. inimicitias itidem rejecta.

§. XIV. HERMANNUS, Ludovico extincto, Thuringiam, & exauctorato Henrico Leone, Palatinatum Saxonix obtinuit: Theodorico genero contra fratrem Albertum, suppetias tulit, atque hostem Weissenfelsæ profligavit. Apud Imperatorem accusatus, ac si infidias ipsi struxisset, Albertum ad duellum provocavit. Antequam vero præstituto tempore in arenam descenderet, lis per amicos composita fuit. Alios deinde hostes nactus a tergo scil. in Hassiam excurrentes, Moguntinum & Coloniensem Præsules, Albertum ex improviso prope Salam adortus, fugavit, eoque ut reliqui etiam sua sponte cederent, effecit. In terram S. profectus an. 1197. infestis rebus an. 1198. rediit. Cum interim duo simul Imperatores electi essent; Ottoni, contra Philippum, (quamvis avunculum) operam addixit, atque Northusam occupavit. Salsfeldiam

diam incendio delevit, civesque captivos abduxit: Boleslaum
Bojemum contra Philippum, in Thuringiam evocavit, a cujus
milite terra magis, quam ab ipso hoste devastata est. Plus-
enim quam sedecim Ecclesiarum conventuales, & 350. parochiarum
numerantur, quae hoc bello destructae sunt. An. 1202. ab Ot-
tone, ad Philippum deficiens, Müllhusam, Northusam, regias
Villas, cum finibus Orlam & castro Ranis praemii loco accepit:
Sed mox Papae Innocentii IV. instinctu, ab eodem iterum defecit:
Philippum Erfordiae, quo se Thuringia devastata receperat,
Odacri Bojemi & Palatini ope inclusit, ut vix noctu ad Theo-
doricum Misniae Marchionem evadere potuerit. Hujus enim
auxilio hostes ab obsidione urbis depellere tentavit; quam ta-
men illi, cognita Philippi fuga, ultro solverunt. Inde Ottoni,
cum a Guidone nuntio Apostolico Mersburgi Imperator inun-
geretur, fidem addixit suam. Postquam vero Philippus Weis-
sensem obsidione cinxisset, Bohemosque Hermannii socios de-
pulisset, suppliciter eidem denuo factus, veniam impetravit. An.
1212. Siffrido Moguntino, qui Fridericum Regem Apuliae,
Henrici VI. filium elegerat, ad stipulatus est. Quare Otto
Thuringiam ingressus, Radeburgum, Salzungam & Weissen-
sam delevit. Sequenti autem anno ejus militem, arcem ante
Weissensem exstruentem, per praefectos suos Swarzburgicum
comitem, & Vargulam pincernam, ipso S. Nicolai die, pugna
acerrima profligavit. Caeterum Poetas aliquot in sua aluit
aula, qui versibus inter se invicem concertantes, dicti sunt:
Das Spiel von Wartburg. Horum aliquis, gente Transyl-
vanus praedixit, filium suum, Regis Hungariae filiam in matri-
monium ducturum. Caeterum in eo laudatur, quod nun-
quam, nisi perlectis aliquot ex latina Bibliorum versione capi-
tibus, cubitum iverit, & quod Isenaci S. Catharinae monasteri-
um condiderit. Tres habuit uxores: (1) SOPHIAM filiam
Friderici, Palatini Saxoniae ultimi, (2) SOPHIAM filiam Otto-
nis Ducis Bavariae & Comitis Wittelsbachii, viduam Henrici,
Comitis Withini, (3) GERTRUDEM, Conradi Marchionis
Misniae filiam, fundatricem Monasterii S. Thomae, Bam-
ber-

E

ber-

bergæ, in quo obiit. Ex primo matrimonio nati ipsi sunt liberi

I. JUTTA, Dieterico Comiti Weissenfelsensi & Marchioni Misnie primum, deinde Popponi Hennebergico Comiti nupta; II. SOPHIA (al. Hedwigis) Alberti Alsatia Landgravii uxor facta: Ex altera, (1) CONRADUS, qui Moguntinum, Siffridum Baronem ab Eppensen, Erfurdia in Capitulo Canonorum S. Mariae, ubi abbatem Conradi Reinharabrunnensem, propter denegatam certam pecunie summam, ut anathemate solveretur, virgis cædi jusserat, crinibus comprehensum, pene interemisset; nisi a ministris suis retractus fuisset. Frizlarium tamen urbem Præfulis in Hassia statim obsedit, ac quod discessuro, nudatis natibus lascivæ mulieres illuserant, eam denuo invasit & expugnavit, nulliusque sexus aut dignitatis ratione habita, cuncta delevit. Pœnitentia vero tanta vindictæ postea ductus, libertate cives donavit ac decimas suas ex Hassia obvenientes Canonicis vendidit. Romam profectus, in reditu per Sueviam, apud Fridericum Imperatorem divertens, benigne admodum exceptus est. Defuncta, an. 1232. Agnete Friderici II. filia, uxore sua, Ordini Teutonico se addixit, & Commendator ac Magister Borussia factus an. 1253. sine prole decessit, sepultus Marpurgi; (2) LUDOVICUS VI. de quo seq. §. (3) HENRICUS RASPO, de quo §. XVI. (4) HERMANNUS natus 1201. mortuus 1216. (5) IRMINGARDIS (aliis Margaretha seu Hedwigis) uxor Ottonis Ascanii; (6) AGNES in arce Wartberg cum St. Elisabetha educata, & Henrico Duci Austriae de Medlingen an. 1223. nupta.

§. XV. LUDOVICUS VI. major natus Hermannii filius, Henrici Illustris Misniæ Marchionis tutelam, defuncto Theodorico seu Dieterico, gessit, eamque contra Eckardum Mersburgicum præfulem, qui in Osterlandia & ad Salam oppida sibi vindicaverat, prudenter administravit: Sororem, se in scio Popponi nuptam, latrones foventem, ac Nobiles Misniæ in se concitantem, nominata terra cum Poppone marito eje-

ejecit. An. 1222. visitavit focerum Andream Hungariae Re-
gem, multos in comitatu suo Comites habens. Redux inde Orla-
mundensem Comitem ad obsequium reduxit, arcemq; Scha-
wenforst contra ipsum ædificavit. An. 1225. Poloniae Duci ob-
violatos mercatores bello illato, Lubiz castrum magna usus
celeritate expugnavit. Cremonam ab Imperatore evocatus,
an. 1226. in Italiam abiit. Ubi Imperator ipsi & cognato suo
Henrico Illustri Misniam & Lusatiam feudi fide, cum Borussia
quantum expugnare possent, terra, contulit. In reditu insi-
dias frustra ipsi struxit Hennebergicus Comes. Xenodochi-
um eo absente extruxerat ipsius uxor Elisabetta. An. 1227. Do-
minum de Salza Reinhardsbrunnensi monasterio molestum,
Aldenberga obsessum, ad deditioem compulit, arcemque
illam destruxit, ac postea Albertum Comitem Orlamunda cepit.
Anno 1228. expeditioni sacrae in Palaestinam sese accin-
xit, Ordinibus suis Creuzburgum convocatis ac consilio hoc
exposito, fratri Henrico regimen provinciarum ac curam uxo-
ris & liberorum commisit. Uxori in memoriam sui annulum,
cujus lapidi agnus Paschalis erat insculptus, dedit, eique non
sine lachrymis valedixit: Brundisium delatus, impetum febrile
sensit; Hydruntum tamen progressus, ab Hierosolymitano
Patriarcha caelesti viatico S. Cœnae munitus, placide obdormi-
vit. Castitatis laude insignis fuit; quod & puellarum con-
suetudine abstineret, & commercium foeminarum familiare
fugeret. Sed Uxorem Elisabetham omnibus mundi gazis cario-
rem habuit. Quæ marito extincto, Wartebergo expulsa,
Isenaci metu Henrici Landgravii, a nemine hospitio excepta
fuit. Itaque Bambergam venientem Eckenbertus praesul, de
hospitio prospexit tantisper, donec principes, qui cum Ludovi-
co in terrâ S. profecti erant, redirent, ac Henricum permoverent,
ut Wartenbergam, ipsam reduceret, atque Marpurgum conce-
deret, ubi & an. 1231. vita decessit. A Gregorio IX. Perusia in
Italia an. 1235. inter divas relata, Marpurgique magnis honori-
bus affecta fuit. Mater ipsa facta erat

(1) HERMANNI anno 1223, Creuzenburgi in Monasterio nati, & post celebratas cum Beatrice, filia Henrici VI. Ducis Brabantie nuptias, Berchtæ cujusdam malefice philtro extincti:

(2) SOPHIÆ ann. 1224. nata, & Henrico Magnanimo Duci Brabantino nupta; quæ mater fuit Henrici infantis, qui cum Henrico Illustre de Thuringia certavit, Hassia Landgravius factus.

§. XVI. HENRICUS RASPO procurator Imperii, absente Imperatore fuit, ac Henrici Gleichenfis comitis arcem Wiselbeck, latronum receptaculum destruxit, ipsum ad citationem suam non comparentem, omni feudi jure privavit. Contra Fridericum II. Imp. an. 1246. electus Imperator Aquigrani a Conrado Colonensi Archiepiscopo coronatur. Conradum filium Friderici prope Francofurtum fugavit die Dominici Confessoris, in cujus rei memoriam Isenaci monasterium hujus Ordinis seu Prædicatorum, instituit. Quod ex Manuscripto vetustissimo a Viro Nobiliss. Dn. D. Lehmanno, Consiliarii Aulae Saxo. Martisburg. mihi benevole communicato didici. Reutlingam & Ulmam frustra obsidione tentavit, ac Wartbergæ mox sine prole vivere desiit; cujus cor in templo Prædicatorum Isenacensium reconditum; cadaver vero juxta latus patris in æde S. Catharinæ collocatum est. Uxores habuit tres (1.) GERTRUDEM Leopoldi Ducis Austriae filiam, ELISABETHAM & BEATRICEM Henrici II. Brabantiae & Lotharingiae Ducis natam, ipso mortuo superstitem.

§. XVII. Hoc defuncto, belli iterum tumultus Thuringiam turbare cœperunt. Duo enim Henrici, ille BRABANTINUS, Sophiæ filia Ludovici VI. filius; hic MISNENSIS Marchio, Hermanni quondam Landgravii, ex Jutta filia nepos, (cui Fridericus II. Imperator Beneventi in Italia anno 1242. post Henrici obitum, Thuringiam cum omnibus consuetis privilegiis contulerat,) de hac provincia certarunt. Cum enim Sophiæ matri Henrici infantis, quæ filii tutelam adhuc administrabat, Velspachius Isenacensis rabula, (postea in expugnatione

tione Ifenaci tympano per aerem missus) totam conciliaffet Hassiam; Henricus occupata Thuringiæ possessione, Comites & Ordines provinciæ sibi obligaverat. Quo facto, per novem fere annos bello certatum fuit. Nam post Wilhelmi in Frisia obitum, in Germania interregnum, ac adeo status turbulentissimus fuit; cum nemo esset, qui bellum illud dirimeret; Brabantinorum partes tutante Alberto Duce Brunswicense, qui duobus recentibus victoriis ab Ebersteinio & Moguntino reportatis, insolentior factus erat; quippe qui filiam suam Adelheidem, laudato Henrico desponderat. Ancipite igitur alea, arcibus hinc inde exstructis ac destructis, bellum gestum est; donec Albertus, absente in Bohemia accersendorum auxiliorum gratia Henrico Marchione, Misniam ingressus, obsidione Lipsiam frustra tentasset, ac in agros Altenburgicum & Numburgensem secure infusus, a Rudolpho Vargillano, Henrici præfecto, filiisque Alberto & Theodorico, auxilio civium Lipsiensium cum novem auratis equitibus, quinquaginta sex gravis armaturæ & plusquam mille levis armaturæ militibus anno 1263, victus esset. Arces igitur octo ad Visurgim cum quatuor millibus sexcentis decem & octo sestertiis, lytri loco solvere coactus est. Nominatas arces & 2000. argenti marcas, Henricus Marchio postea Henrico genero Alberti dotis loco dedit ac de hæreditate ita cum ipso transegit: Haberet cum posteris suis Hassiam; Thuringiam vero simulque Palatinatum Saxonix cederet sibi; Sique hæres aliquando masculus ipsi deficeret, Hassia denuo ad Misnenses Marchiones revolveretur. Transactionem hanc postea Rudolphus & Sigismundus Imperatores confirmarunt.

CAP. II.

ARGUMENTUM.

§. (1) *Vita Henrici Illustris, Theodorici, Friderici Tuttonis & Friderici Parvi, (2) Alberti de generis, Dicemanni & Hen-*

E 3

*rici Exulis: (3) Friderici Adnorfi: (4) Friderici Gravls
 seu Severi, Sigismundi, Balthasaris, Friderici Simplicis, Lu-
 dovici & Wilhelmi I. Divitis: (5) Friderici Strenui, Fri-
 derici filii, & Wilhelmi II.*

S. I.

HENRICUS ILLUSTRIS, Marchio Misniae, cujus
 supra SECT. I. CAP. III. mentionem iniecimus, natus
 an. 1218. tutorem habuit Ludovicum VI. Landgravium,
 qui matrem Henrici, Sororem suam cum Popone marito, ob
 causas supra commemoratas, tota Misnensi ditione expulit.
 Antequam vero discederet Jutha, Leopoldo Austriaco oppi-
 da, quæ a marito priore, propter amplitudinem dotis accepe-
 rat oppignaravit, a filio, quem ipsi simul commendavit, aut
 redimenda aliquando, aut cum filio Leopoldi in dotem acci-
 pienda. Inde Marchio robustior factus Constantiam, Leo-
 poldi filiam an. 1234. in matrimonium duxit. Cæterum cum
 Johanne Brandenburgico, de Copenico & Mittewalda an. 1242.
 contendit. Pace deinde facta, bello jam commemorato,
 Thuringico finis impositus tandem fuit. Ob virtutis & divi-
 tiarum famam illustris dictus, in Borussiam expeditionem susce-
 pit. Friderico Austriaco Hermannii filio Neapolicapite trun-
 cato, & altero Leopoldi VII. filio ad Leitam ab Ungaris occiso,
 Austria ipsi ab Ordinibus destinata fuit. At legatis Pragæ in-
 ter pocula de negotio hoc colloquentibus, ipsi detenti sunt, do-
 nec Wenceslaus Ottocari filius Austriacis obtruderetur. Ex
 fodinis metallicis Freybergensibus interim Henricus tantas
 collegit divitias, ut si regnum Bojemix venale fuisset, illi redi-
 mendo pares censerentur. Hinc apparatu magnifico ludos
 Northusæ equestres celebravit: Frangenti hastam, argenteum;
 dejicienti vero antagonistam ex equo, aureum folium ex arbo-
 re argentea erecta præmium dabatur. Judæi tum in Misnia
 commorabantur, quibus leges mutui inter se & cum Christia-
 nis commercii præscripsit. In Aula Friderici Imp. tanta ma-
 gnificientia instructus aliquando comparuit, ut cuncti splen-
 dorem



dorem Principis mirarentur, ipseque Imperator, filio ipsius Alberto, suam filiam Margaretham desponderet. An. 1265. provincias inter filios ipse superstes divisit. ALBERTO dedit Thuringiam cum Saxonix Palatinatu: Landsbergam cum Osterlandia THEODORICO; Dresdam, Hanam & oppida quædam alia FRIDERICO; sibi Misniam & Lusatiam retinuit. De Scharffenbergensibus metalli fodinis, cum Vitigone Præsule Misnensi controversia ipsi intercessit; quæ tamen sine belli strepitu per Regem Bohemix composita fuit. In Lusatia prope Gubenam, Cellam novam, & ad Muldam Nimits-hense monasterium condidit. Vita an. 1287. excessit in Vetro-Cellensi Cœnobio sepultus. A liberalitate MUNIFICI; a bellica virtute MALLEI cognomina accepit. In matrimonio tres habuit uxores (I) CONSTANTIAM, Austriacam, m. 1242. (II) AGNETEM Regis Bojemix Ottocari filiam, cui Angelus in insomnio amaram potionem, promissa a Domino amaritiei mitigatione, obtulisse visus est. Quo factò, paullo post, an. nempe 1268. obiit. (III.) ELISABETHAM Maltiziam Misnensis nobilis filiam. Ex prima genuit

(1) ALBERTUM, de quo seq. §. (2) THEODORICUM, cognomento Sapientem, Osterlandia & Landsbergi Marchionem. Hic Ericum Magdeburgensem Præsulem Thuringia eiecit; ab eodem pace facta, dolose in auxilium contra Falckensteinium Anhaltinis, ob arcem ereptam, molestum evocatus, una cum fratris filio Friderico captus, & vinculis confictus fuit, donec libertatem ære magno redimeret. Varia deinde gessit. Bitterfeldam & Delitiû Anhaltinis eripuit: Contra Alstetenses & Bergensem fratri militavit. Mortuus an. 1283. Seuselizii in cœnobio ad Albim a se condito sepultus fuit. Ex Helena Johannis I. Marchionis Brandenburgici filia Weissenfelsi in cœnobio a se fundata, condita, genuit FRIDERICUM a lingua balbutiente TUTTA s. Theuti dictum, qui cum Vitigone Episc. Misnensi de Pirna & Dresda, a patruo Friderico Parvo emtis, & post obitum suum, venditori restitutis, decertavit easque occupavit. Et cum
prolem

prolem non haberet, FRIDERICUM & DICEMAN-
NUM, ex Hildegarde Bavara natos, quibus cum a patre suo
educatus fuerat, heredes in conventu Erfurdiano scripsit.
Ex venatione rediens cum arce Hirstein, accepto in cerasis for-
te veneno an. 1291. exspiravit, juxta latus patris sepultus: Ex
tertia Conjuge natus est Henrico, FRIDERICUS, cogno-
mine Parvus; hic precibus Henrici, a Rudolpho Imperatore,
quod impare genitus esset conjugio an. 1278. dignitatem Prin-
cipis nactus, possedit Hainensem praefecturam, circulum &
urbem Dresdensem, tum Praefulis Misnensis feudum. Dres-
dam enim sibi ereptam atque Wenceslao II. Boemiae Regi ab
Alberto fratre datam, recepit, eamque Waldemaro Bran-
denburgico, acceptis undecim marcarum millibus ad vita-
dies vendidit: septem marcas accepit statim, reliquas dein-
de exsolvebant Budissinenses & Görlizenses. Ex Elisabetha
Schwarzburgica nullam prolem sustulit, an. 1316. defunctus,
Vetereocelle sepultus est.

§. II. ALBERTUS a virtutis studio plane degenerans,
DEGENER inde cognominatus est. Margarethæ enim con-
jugis Imp. Friderici II. filia, propter Cunigundam ab Eisen-
berg, quam deperibat, insidias struxit; quibus detectis an. 1270.
ab arce demissa, postquam morso genæ, FRIDERICO memo-
riam sui infixisset, Francofurtum aufugit. Ibi in monasterio
an. 1270. extincta, a Moguntino Wenero, regio propemodum
apparatu supulta est. Filii laudatæ Margarethæ FRIDERI-
CUS & DICEMANNUS, apud Theodoricum patrum interea
optime educabantur. Cunigunda vero Alberto copulata, A-
pitium nothum pepererat, quem proli legitimæ æquiparari
voluit. Weissenham Henrico Hassiæ Landgravio oppi-
gnoravit; Cives vero Hassam timentes, 60. puris argenti mar-
cis sese redemerunt. Cæterum Alstedam & Dorenburgum
expugnavit: Latronum per Osterlandiam receptacula, fratris
Theodorici ope destruxit. Theodoricum fratrem Thuringi-
am hostiliter ingressum superavit. Fridericum filium, qui
Magistrum Ordinis Teutonici omnium consiliorum auto-
rem

rem apud Albertum interceperat, opera Kefferbergii captum
carceri in arce Wartenbergamancipavit; e qua tamen suorum
ope, abductis simul custodibus an. 1282. evasit. Rudolphus Im-
perator compositurus patrem inter & filios controversiam an.
1289. in conventu Erfurtenfi, Albertum Thuringia, filios Mi-
snia Lausatia & Osterlandia contentos vivere jussit; Quam-
vis Fridericus maternæ injuriæ se nunquam oblivisci posse, af-
firmaret. Quo factò, Albertus cum Thuringis Appitium fru-
stra obtrudere molitus esset, præfecturas illi aliquot utendas
tradidit. Appitius autem cunctis jam exosus, cum Reinhard-
brunnensis monasterii agros depopulatus, pecora abegisset, &
furca fere ab insequentibus monachis interemtus fuit. Tan-
dem an. 1289, Albertus inter Gotham & Isenacum a ministris
Friderici captus, Landsbergum in custodiam missus est. Fri-
dericus hac de causa apud Imp. Erfurdia accusatus, patris in-
matrem ac filios injurias atroces exponens, se a crimine purga-
vit, & ad Thuringorū preces eum hac lege dimisit, ut præfectu-
ras Appitio datas reciperet. Hinc custodia liberatus, Tenneber-
gam Abbati Reinhardbornensi, acceptis decem argenti marcis,
pignus dedit, eamque pecuniam Cunigundæ ac filio ejus do-
navit. Ad conventum Erfurtensem apparatu magnifico
profectus, sedecim in Monte Petrino, equites auratos, præsen-
te Imperatore creasse, baltheisque argenteis donasse fertur.
Sed rectius Imperatori hoc *Gudenius* in Chron. Erfurtenfi ad-
scribit. Albertus dolorem animo coquens, Brandenburgicum
quidem in filios suos concitavit; at tribus præliis ad interne-
cionem propemodum cæsus, alia viarem aggressus est. Nam
Adolpho Nassovio Thuringiam, pretio 12000. marcarum ven-
didit, excepta arce Wartenberg, quam ad dies vitæ, ut domici-
lium haberet, reservaverat. Cum autem Adolphus Thuringis
persuadere non posset, ut suo imperio colla submitterent, per
duos annos, 1295. & 1296. bello eos gravissime afflixit, modoq;
plus quam barbaro devastavit. Verum tamen cum an. 1297.
equitatus Adolphi a præfectis Friderici cæsus, atque Philippus
quoque Adolphi legatus in Misnia devictus esset, melioris for-
tunæ spem victoria ista principibus præbuit. Præsertim cum

F

Adol-

Adolphus non ita multo post, in pugna cum Alberto Austria-
co, Spiram inter & Wormatiam in ita, occubuisse: Cunigunda
etiam belli istius fax & tuba, an. 1300. vivis excederet, & brevi,
post eam tempore Appitius. Inde tertiam conjugem Albertus
duxit Adelheidem divitem Comitis Armshaugii relictam vi-
duam. Hinc Erfurtenfiū auxiliis instructus, Vinariensis comi-
tis agros devastavit, oppidaque aut incendit aut destruxit, soli
Greifenbergo supplici facto pepercit. Inde ab Alberto Imperato-
re evocatus Fuldam, de injuriis Margarethæ conjugis & filiis il-
latis, objurgatus tantum fuit. Sed cum filii metu insidiarum
non comparuissent, ægre ferrens Imperator, contra eos ipsum
stimulavit. Enimvero Albertus pater, a Friderico filio, cui
Adelhaidis noverca & socrus etiam favebat, Erfurtum com-
pulsus, cum civibus ibi de alimentis sibi & duodecim ministris
quotidie præbendis pactus est, pagosque circa urbem pecu-
nia deficiente, vendidit. Summa tandem in paupertate atq;
miseria ibidem an. 1313. extinctus, in B. Virginis templo sepul-
tus est. Ex Margaretha Austriaca genuerat

(1) FRIDERICUM de quo seq. §. plura dicemus: (2) DITZ-
MANNUM seu Dicemannum, aut Theodoricum. Is cum
fratre & Friderico Tutone in aula Theodorici patruī educa-
tus, hujus sine prole defuncti possessiones obtinuit. Cum
fratre, illata ab Adolpho & Alberto Imperatore bella, forti a-
nimo & sustinuit & repulit. Maxime tamen victoriis cla-
ruit, quas a Johanne Brandenburgico in Lusatia reportavit.
In agro Zwenkiano, venatione animum delectans ab Henrici
Merseburgici Præsulis seu cognato seu præfecto, Henrico Ar-
rasio, valida manu laceffitus, cum paucis hostium impetum
fortissime excepit atque victor Arrasium cum aliis Lipsiam ca-
ptivum duxit; inde Weissenfelsam, pro 12000. denariorum sibi
oppignoratam, lyeri loco, Episcopus dictus cedere coactus est.
Post secundum prope Lucam cum Suevis prælium, Pegavia-
num Abbatem, qui Nortbergium Alberti Imperatoris lega-
tum commeatu adjuverat, ultus est. Sed tandem Lipsiæ in
Thomano templo, dum Sacris in festo Nativitatis Christi in-
terest, a sicario clam latus ipsi vulneratur, ex quo vulnere,
ela-

legato Philippo fratre, qui non minori crudelitate sævit, antequam non procul Bornam a Friderico an. 1296. victus castris exeretur. Sequenti anno ipse Imperator Misniam ingressus, in montana regione Freibergam per transfugæ prodicionem occupavit. Arcem urbis deinde promissa præsidariis incolumnitate, etiam cepit, ac plusquam sexaginta nobiles, contra fidem datam, captivos retinuit: quos Fridericus Grimma, Rochlizio & Leisnico illi traditis, redemit. Quo factò expugnatis in reditu aliquot oppidis, militem Altenburgum in hyberna misit. Qui cum secure vagaretur, Fridericus collectis aliquot ex suis copiis, Rochlizium recuperavit, captoque inter Döbelam & Oschatium Philippo, Döbelam Geitam & Bornam recepit. Cæso Adolpho, Philippus dimissus Albertum successorem fratris, spe Fribergensium metallorum fertilissimorum, quæ adhuc in sua essent potestate, adversus Fridericum stimulavit. Fridericus interim Lipsiam, Misnam, Osterlandiam aliaq; præter Freibergam, loca recepit. Legatū quoq; Alberti Imperatoris, quem ut inobedientiam Principum, ut ferebat, (quod Fuldæ evocati ad conventum, non comparuissent,) castigaret, in Misniam cum exercitu miserat, prope Lucam Osterlandiæ tanta clade an. 1307. affecit; ut Misnenses male alicui ominantes, in proverbio postea dixerint: Hæc tibi perinde, ut Suevis ad Luccam procedent. Is vero dum Torganos & Grimmanos recepit, fratrem Lipsiæ in templo Thomano ab immisso percussore interemtum amisit. Philippum fraternæ cædis autorem, Bornam inter & Freiburgum offendens, hastâ transfixit. Osterlandiam fratris possessionem, contra patrem ac Imperatorem domesticis bellis occupatum sibi vindicavit. Adelheidis novercæ auxilio, etiam Wartbergam noctu interceptit, ac parentem, derelicta hujus possessione, Erfurtum abire compulit. Ibi jussu Imperatoris Alberti, a Molhusis Norrhufiis & Erfurtensibus obsessus, & inopia victus valde pressus, per medios hostes noctu, stipatus aliquot equitibus, Reinhardsbornam evasit. Filiam Elisaberham recens natam sacro ibi fonte tingi curat, adductisque sibi ab amicis trecentis & triginta equitibus, curribusque comœatu onustis Wartbergam

gam rediit. Capto deinde Imperatoris legato comite a Wil-
denaw, obsidione liberatur, ac Ifenacenses occiso Alberto,
supplices f. Etos in fidem recepit. Studio vero pacis, oppida
Lusatia a Waldemaro Brandenburgico occupata, recuperare
destitit. Cum Erfurtensibus propter villas, a patre ipsis ven-
dita belligerans, urbem obsessam igne injecto, cremavit.
Fuldenses perlata ad se de nato sibi filio, fama ulcisci superse-
dit. Vinariensem latronum defensorē, ademptis ipsi aliquot op-
pidis, compescuit. Ab Henrico Lüzelburgico, Altenburgum
Zwiccaviam & Chemnicium urbes tum Imperiales dictas, in
compensationem damni dari occupatas, aliasq; in Misnia op-
pignoratas restituere jussus est. A Waldemaro Brandenbur-
gico prope Haynam captus, filiam unicam Alberto Kœtensi,
cum dote totius ditionis Pleiffensis, ipsi cum aliis oppidis, pa-
truo vero Waldemari, Misnae atque Freibergae urbes & insuper
Lusatiam cedere, ac triginta marcarum millia promittere
necessum habuit. At suorum ad Altenburgum fide & auxi-
lio liberatus iterum, captoque Alberto, non solum hasce con-
ditiones, (excepta Lusatia inferiori, qua Brandenburgico
concessa fuit,) rescidit, ac ingens simul a captivo lytrum exe-
git. Fuldensem abbatem ad satisfactionem praestandam; Er-
furtenses vero ad hasce pacis condiciones adegit, ut privilegiis
ab Alberti parente concessis renunciarent, pro certis villis cer-
tam pecuniae summam numerarent, decemq; insuper argenti
marcarum millia solverent. Insecuta, post haec bella Erfordia
& per totam fere Thuringiam, ingenti fame, frumentum pau-
peribus, quo agri coli possent distribuit: Marchionatum
Landsbergensem, Brunswicensibus a parente oppignoratum
redemit; Albertum Canutum patris consiliarium, quod Fri-
derico male minatus esset, in carcere necari jussit: Burchar-
dum Magdeburgicum antistitem, contra cives contumaces
urbe obsessa adjuvit: Arces latronum Raspenbergam & E-
kardsbergam delevit. Scenae a Monachis, de virginibus fa-
tuis ac sapientibus ex Evangelica historia Henaci instructae,
dum interfuit, ac Dei genetricem frustra pro fatuis apud De-
um interpellare vidit; territus Sanctorum preces apud DEUM
F 3 irritas

irritas esse, subtristis abiit, ac morbo apoplectico affectus demum post triennium an. 1325. obiit. Uxores habuit duas, (I.) AGNETEM Ducis Carinthiæ filiam an. 1308. mortuam, & Viterocellæ sepultam, quæ mater FRIDERICI CLAUDI fuit: (II.) ELISABETHAM Comitis Arenshaugii filiam, quam (cum ex arce Wartenberga diebus sacris templum quoddam sæpius frequentaret, interceptam ac inde Gotham deductam,) cum suæ novercæ consensu, an. 1303. matrimonio sibi junxerat. Hæc ipsi dotem Neustadt & Jenam attulit, ac an. 1336. exspiravit Isenaci humata. Ex hac genuerat

(1) FRIDERICUM, *de quo seq. §.* (2) ELISABETHAM, *Henrico II. Hassiæ Landgravio, an. 1317. nuptam, quæ cum apud eum falso adulterii crimine, a Ludovico Levi mariti fratre delata esset, ad fratrem Fridericum confugit, maritoque frustra eam sæpius repesente, ibidem mortua est.*

§. IV. FRIDERICUS a morum gravitate SEVERUS, Gothæ an. 1310. natus, patre defuncto tres habuit tutores, Henricum Schwarzenburgicum Brandenburgicorum impetus inhibiturum in castris telo improvise occisum; Henricum Voctum Plauensem, & Fridericum Wangenheimium, qui Drefurtinos & Spangenbergios latronum patronos fugavit, ac illos cum tribus e Cunemundorum familia fratribus, septemque alios cepit ac capite multavit. Drefurtini partem ditionis suæ cesserunt principi, ex qua Berungum majus Wangenheimio donavit. Huic Friderico an. 1330. Johannes Rex Bohemiæ, ex Hetruscis & Insubribus rediens eripuit, quicquid adhuc in superiori Lusatia Misniæ Marchionibus parebat, quod in gratiam Imperatoris, Juditham filiam Johannis sponsam suam, patri remisisset; Balduinum Archiepiscopum Moguntinum cum Imperatore & principibus contra Pontificem & Erfurtenses, qui Henrico favebant, defendit. Cum Henrico Hassiæ Landgravio, Henrico Duce Saxonix, & Comitibus Thuringiæ fœdus mutui auxilii pepigit. Pegaviæ in hastiludio, per fellam ferro transmissio vulneratus est. Edwardo III. Angliæ Regi etiam contra Gallos militavit: Signa equestris oblata ibi, non nisi a Wangenheimio, quem hostis conspectum nunquam fugis-

gisse prædicaverat, applicari sibi voluit. Redux post trimestre spatium, Isenaci comites suos convivio excepit. Controversiam de Jena cum matre, quam filio, commutatione facta, recusarat cedere, Ludovicus Imperator an. 1333. veniens Wartenbergam composuit. Latrones mercatoribus molestos jussu Imperatoris in Thuringia compescuit: Numburgenses & Friburgenses prædam, quæ in domos ipsorum delata fuerat, restituere coëgit. Hermanni Drefurtini, ex latrocinio viventis ditiones cum ipso partitus est: Nebranis ex eadem causa Grimenthalam ademit; Vinariensem & Schwarzburgicum Comites, qui prætereunti Erfordix ex teatro illuserant, bello petiit. Illum ditione exiit; hunc obsidionem Arnstadii solventem Erfordiam usque insecutus profligavit, cumque patre HENRICO cepit. Ad Arnstadium vero regressus, ingenti clade ab HENRICO Firnbergio, qui urbi præerat, affectus est. Ipse FRIDERICUS gravissime in ista hac pugna vulneratus fuit. Vinariensis Comes, Friderico Orlamundam; Erfurtenfibus Zimmeram cedens, veniam impetravit: Schwarzburgici autem an. 1344. dimissi sunt. Sequenti anno Isenaci in equestri pugna palmam meruit Fridericus: Hennebergico Comiti, filiam Catharinam Friderico juniore seu strenuo, filio suo an. 1448. in matrimonium elocatum (quod Coburgum nollet dotis loco promissam nuptiis finitis tradere,) domum remisit. Exorto inde bello, victus fugatusque Hennebergicus, pace facta, filiam Friderico remisit, Sonnebergum Coburgumque genero tradidit. Hermannum Stolbergicum latrones foventem, expugnata arce captum, capitis pœna mulctavit, ac viginti sceleris consortes suspendio affecit. Friburgum ab Alberto avo, Mersburgico præfili oppignoratum, tunc latronum suffugium factum, expugnavit, ac satisfactionis loco sibi vindicavit. Salzam, cujus partem ipsi frater major natu cesserat, reliqua Moguntinus obtinuerat, obsedit; cumq; obsessi nudatos nates ipsi monstrassent, ignominiam ulturus ignem injecit, quo flammam concipiente, multi homines perire. Tandem inter eos convenit, ut dimidium ipse, alterum dimidium Moguntinus retineret. Defuncto

Sto Ludovico Bavaro Socero, diadema seu dignitatem Imperatoriam sibi oblatam, propter senectutem recusavit, atque Carolo IV. acceptis 10000. argenti marcis cessit. An. 1349. vita excessit, Veterocellæ sepultus. Ex Mechtilde Ludovici Imp. filia, genuit.

Filias (I.) ELISABETHAM, Friderici Burggravii Norimbergensis uxorem: (II.) BEATRICEM abbatissam Seuseli- zensem: (III.) ANNAM & CLARAM natas Misne, in infantia extinctas: Filios (1) FRIDERICUM Roch- lizii an. 1319. difficili partu natum, nec diu superstitem: (2) FRIDERICUM cognomine STRENUM, de quo seq. §. (3) SIGISMUNDUM natum Misne an. 1330. prasulem postea Mersburgicum: (4) BALTHASAREM Weissenfel- sia an. 1336. in lucem editum. Qui anno etatis XX. Eduar- do III. Anglia Regi, in auxilium contra Gallos an. 1356. profe- ctus, & cum eodem in Angliam e Gallia rediens, militari bal- theo donatus, a Rege magni estimatus fuit. Prelio, quo Henricus Castella & Legionis Rex ab Eduardo in Hispania vi- ctus est, interfuit. Revocatus in patriam & Voiglandis praefectus, Ruthenum subditis molestum, domuit; A Swar- zenburgico emit Swarzenwaldam & Wassenburgum 12000. marcarum exsolutis; dimidiam hujus summae partem Erfur- tenses, qui in detrimentum principis illa loca ambiverant, obsidione clausos solvere coegit. Ottone Sagittario Hassie Landgravio sine prole extincto, Hermannum patrum Ot- tonis, contra Brunswicensem, Henrici ferrei sorore natum, (qui factionem stellatam & Zigenbainensem in suas peries per- traxerat) nomine sui reliquorumque fratrum, quibus cum Hassus mutuae successionis foedus inivisse dicitur, fortissime de- fendit. Brunswicensem se in castris ex improviso oppressurum, apparatu ejus a Friderico fratre, Aquisgrano veniente, sibi patefacto, discedens, ita turbavit; ut, cum appropinquans neminem adinveniret, confusus, pedem referret. Dila- psam factionem stellatam, destructis arcibus, intra triennium delevit: Ludovicum fratrem, Moguntie ArchiEpisco- pum contra Adolphum Nassovium, antiprasulem, defen- dit.

dit. Thuringiam, divisione facta, obtinens Brandenfelsios, Creuzburgi & Isenaci agros devastantes, domuit. Kesenburgensi comitatu, extincto in terra S. ultimo Comite an. 1385. potius est. Hermanno Hassie Landgravio, decimas Moguntino deneganti, Estwegam & Sundram eripuit, reliqua loca, culpam deprecanti restituit. Rebellantibus an. 1387. septuaginta Imperii Civitatibus in Suevia, Franconia & Bavaria; cum Friderico Norimbergensi Burggravio, Winsheimium, Rotenburgum & Norimbergam ad obsequium reduxit. Moguntini in Hercyniis praefectum, praedas agentem, cepit; Henicam arcem adversus latrones exstruxit: Fuldano Abbati contra Steineccios, nobiles in Buchovia, latrocinantibus, adstitit: Eidem etiam contra collegam opem tulit an. 1393. Henricum Laucham Scharffenberga ejecit: A singulis nummum exegit in Thuringia, quorum XX. aureum Rhenensem conficiunt. Hic thesaurus Ursi nomen accepit; vitam an. 1406. finiit. Altera conjux Agnes Rudolphi Electoris Saxoniae filia, Friderici Brunsvicensis vidua, ducta in matrimonium, sterilis fuit: Ex priori autem Margaretha Johannis Norimbergensis Burggravii nata, cum qua an. 1377. Hillburgum, Hilpersbusiam & Eisfeldiam accepit, prole auctus est, (a) ANNA Rudolphi Elect. Sax. uxore, (b) FRIDERICO, cognomen SIMPLEX erat. Is Pragam obsidenti Wilhelmo patruo militavit. Ab Anhaltinis autem postea captus, magno lytro dato dimissus fuit. Hic an. 1408. Guntheri Swarzburgici comitis filiam duxit, qui cum multa a majoribus FRIDERICI, mala perpeffus esset, vindictae studio, Thuringiam, ab alienare clanculum meditatus est. Tandem Wilhelmus patruus, Fridericum adiit, remque omnem ut gerebatur, eidem patefecit. At supplici facto Swarzburgico, an. 1412. venia data est, Hennebergico autem, qui Georgenthalis equos abegerat, Ilmenam eripuit. Friderico Bellicoso contra Magdeburgicos, restituendi praesulis gratia, quem expulerant, bellum gerenti, operam navavit. Obiit Weiffensebae an. 1440. sepultus Reinhardshornae. Ditiones ejus acceperunt WILHELMUS & FRIDERICUS BELLICOSUS, Marchiones Misniae. Porro Fridericus gravis (5) genuit LUDOVICUM Warzenberga an. 1340. natum, & in Halbenstadiensem praesulem, anno 1358. electum. Hic Mansfeldensem Comitem ob quorundam

G

dam

dam arces, quas vi occupaverat, Islebia obsedit. Eundem
quod Sitgenbachensem Abbatem contumeliis affecerat, denuo com-
pescuit, insuperque excommunicavit. Post octennium ad Pabeber-
gensis Ecclesiam vocatus, ac tandem contra Adolphum Nassovi-
um in Moguntia Archiepiscopum electus, fratrum ope, amulum
vicit Erfordiamque fugere compulit. Pacem conciliante Impera-
tore, uterque titulum retinuit. Ottone defuncto, Magdeburgen-
sis Antistes electus est; a civibus autem rejechtus, quos, ut devince-
ret sibi, quorundam seditiosorum hominum castella diripuit, atque
ita restitutus fuit. Inde Wernigerodanos ad officium redegit. Cal-
be an. 1381. in publico loco choreas ducens, cum exorto forte incen-
dio ad gradus scale properaret, illa collabente, laeso capite ex vulnere
accepto extinctus est. Magdeburgum delatus in aede D. Mariae mo-
numento illatus est: (6) WILHELMUM COCLITEM Dresde
an. 1343. natū, qui Misnia post obitū patris prefectus, nondum disper-
sitis provinciis, eam a latronibus purgavit, multis arcibus olim ab-
alienatis a se redemptis, auxit. Carolo IV. in Italia contra Barnabam
Galeatium & Mediolanenses militavit. Carolo autem corradendis
thesauris magis, quam bello intento, opera ipsum simul cum aliis pœ-
nituit. In seditione Civitatum imperialium exorta, fratris Baltiba-
saris equitatu prefuit; eumq; in Buthoviam an. 1393. secutus est.
Heldrungenfi comiti, adversus Erfurtenses opem tulit, ac villas eo-
rum a. 1396. delevit, quod absunt a sorte incendio urbis parte, ipsum
per calumniam autorem maledixissent. Nummos ab ipso Wilhelmi-
nos denominatos, cudi fecit. Jodoco Moravia Ducis, Socero, cum
Wenceslao Rege Bohemorum bellum gerenti Pragam, auxilia addu-
xit ac urbem per totum trimestre spatium obsedit. Ornamentis e-
questribus donatus, Donam in reditu expugnavit; ac, ut fertur,
Brandenburgensem Marchiam dato ere, (40000. Böhmische
Schock dicunt) redemit, tituloque potentis Marchie Veteris &
Novae administratoris usus est. Fratris Friderici filius ingentes
opes reliquit, cum sine prole an. 1407. decederet. Sepulchrum ejus
Misna in choro templi Cathedralis ad latus Uxoris Elisabethæ Jodo-
ci Moravia Ducis filie an. 1400. defunctæ, ostenditur.

S. V. FRIDERICUS STRENUUS prodiit in hanc lucem
an. 1330. qui a teneris unguiculis militaribus artibus advetus, pu-
gnæ ad Scharffenbergam cum Hennebergico commissæ inter-
fuit.

fuit. Cum Carolo IV. in Henricum Plavensem, qui urbes ad Bohemiam pertinentes redempturo Carolo, abnuebat, profectus, Zü-
genrückam, Triptas, Meinam, Ronneburgum & Weidam, illi e-
ripuit. Carolus retinuit Bohemica, cætera cesserunt Landgra-
vio. Idem & Guntheri, Romanorum Regis filii, ditiones dereli-
ctas occupavit, ac transactione cum Guntheri agnatis, facta,
Dornburgum, Vindburgum, & Greiffenbergum cum 3000. puri
argenti marcarum, accepit, reliqua loca illis reddidit. Bichlin-
gio Kundelbrücenfibus sibi oppignoratis, contra privilegia ipso-
rum, plus justo molesto, oppidum Kundelbrückam eripuit, Müll-
husios & Northusios, quod Comiti delectum in suis agris agere
concefferant, ad Kundelbrückam invadendam pecunia multavit,
ejusque partem in cives d.l. distribui iussit. Erfurtenses, qui prædã
in domos suas recepisse arguebantur, Gothæ coram iudice pejeran-
tes, non alia pœna affecit, quã quod terra, in qua steterant, effossa
dispergeretur. A dbatẽ Fuldensi, qui suorum in Thuringiã latrocinia
non cohibuerat, licet de eo monitus esset, ad satisfactionem præ-
standam compulit. An. 1362. Alberto Brunswic, qui Thuringiam
vastaverat, Sulzanam arcem eripuit, sed Embecam frustra obse-
dit, cum Sclopetis tum novo & nondum satis cognito armorum
genere usi dicantur præsidarii. Agros interim circa urbem de-
vastavit, ac progressus inde plurima alia occupavit loca, Alber-
tumque pacem petere ac pro injuriis illatis satisfacere coëgit.
Cum vero adductis præsidariis, quos arcibus nonnullis Fridericus
imposuerat, comeatus ille diripisset, altera vice supplex
pacem precari, ac promittere, quod præstituto die Isenacum ven-
turus sit, necessum habuit; inde non nisi re omni composita,
abeundi potestatem nactus. Erfurtenses oppidum Tanrodam
incendio, ob suspensum a civibus præfectum, delentes, penes
Imperatorem accusavit. Eorundem etiam legatos cum Swarz-
burgico, pro impetranda confirmatione arcium Wassenburgi,
Libensteinii & Swarzenwaldæ emtarum, ad Imperatorem missos
intercepit, arces illas ipse redimens. Partem pecuniæ Erfurtenses,
pœnæ loco numerare iussit. Inter Northusianos & Hoensteinium
pacem composuit. Northusianus Senatus, ob exactiones nimias
eodem tempore occisus est. An. 1370. laudatus Fridericus San-
gershusanam præfecturam a Magno Brunswicensi Duce emi t.

Pii.

Primum fratribus, ut vocant, apanagium assignavit, postea mutato consilio terras divisit; Thuringiam BALTHASARI, Misniam WILHELMO cedendo, sibi retinuit Osterlandiam. Defunctus an. 1380. ultimus fuit, qui ex sua gente Cellæ sepultus est. Ex CATHARINA HENNEBERGICA an. 1397. mortua suoque lateri adjuncta, nactus est

(1) FRIDERICUM, in pueritia extinctum: cujus obitum per omnem vitam matrem lugisse, scribitur: (2) FRIDERICUS BELLICOSUS, de quo seq. SECT. CAP. II. §. I. agam. (3) WILHELMUS, qui fratri contra Hussitos & in Hercyniis contra latrones militavit. A Swarzburgico, Königsbergam, & ut nonnulli volunt (nam alii patruo hujus tribuunt) a Jodoco Moravia Marchione Marchiam Brandenburgicam emit; Friderico Norinbergensi Burggravio, receptis impensis suis, restitutam. Inter Leisnicensem Comitem Ortwinum, & Abbatem Chemnicensem, de tribus arcibus huic ereptis, controversiam sopire jussus, e Metallo Conradorfiano, multa ferri plaustra avexit. Tandem Weida, an. 1425. mortuus, in eade D. Gregorii juxta arcem, Altenburgi a se fundata, conditus est. (4) GEORGIUM Coburgi residentem, & post obitum in Portensi cœnobio ad Salam an. 1411. humatum.

§. VI. Nova nunc series Marchionum Misniæ, qui Electorali dignitate donati eminuerunt, inchoanda est, quam in altera dissertatione huic subjungenda, cum DEO exhibere molior. Nam propositum est, historiam Saxon. Ducum & Electorum Serenissimorum, ad Sereniss. ac Potentissimum Electorem JOH. GEORGIUM IV. qui hodie gentis incluz Caput gloriosum est, & nunc adversus communem patriæ hostem animo invicto militat, perducere. Faxit DEUS Dominus exercituum, ut interim omnes boni cives eidem mox de hostibus triumphatis gratulandi causam habeant!

S. D. G.



CO-

COROLLARIA.

I.

Saxones ante Carolum Magnum non tenuere regnum.

II.

Carolus Magnus Saxones non redegit in seruitutem.

III.

Studium Propagandi religionem Christianam Carolo non præbuit jus belli in Saxones.

IV.

Thuringi & Misnenses etiam possunt dici Saxones.

V.

Saxones ex superstitione multa condiderunt monasteria.

ERRATA extantiora.

SECT. I. CAP. I. §. VI. lege pro Scheigum, *Scheidungum*. §. IX. lin. 5. pro Pipinio, *Pipino*. Cap. II. §. I. lin. 3. pro 777. lege 772. §. III. lin. 14. pro Hocheym, *Horbeym*, & pro Obacorum, *Obacrum*. §. V. lin. 12. pro Gunthero, *Gunzelino*. §. VI. lin. 19. pro Taymonis, *Tagmonis*, §. IX. lin. 11. pro II. Theodoricum, pone *Theodoricum II.* & lin. 12. dele *qui*. lin. 3. lege pro III. II. §. X. lin. 31. pro Stiermen / Stiernenen. lin. 57. pro nepte, *nepos*. §. XI. lin. 5. pro Masicone, *Masicone*. lin. 9. pro & ne, lege *qui ne*. lin. 11. pro Monasteriensis, *Monasteriensi*. lin. 68. pro auxilio misissent, lege *objicerent*. lin. 75. infere post, filios habuit, *Theodoricus II.* §. XIII. In 8. dele *qui*, & lege pro o bse.

obsederant, *obsidens*. lin. 16. dele, *item*. §. XIV. lin. 6. pro qui, lege
a quo. lin. 25. pro Leucarda lege *Lucarda*. lin. 54. dele *num.* (1) lin.
61. pro Laubus *Lubus*. lin. 71. lin. post verba Groiz nuptam, infere
(6) *Agnetem Bertholdo IV. Duci Merania desponsatam*. lin. 78. ante
calicem, infere *ob*. §. XV. lin. 4. post num. 1175. infere *condidit*.

SECT. II. CAP. I. lin. 17. pone verba: in pugna conferta,
post, Wilhelmus II. cum addito. *postmodum occisus*. §. X. lin. 3. dele
vel placida morte extinctum. lin. 22. pro Reinhardsbunnæ lege *Rein-*
hardsborna. lin. 32. pro fundatricem, *fundatrix*. lin. 33. pro Conju-
gis, lege *Conjugem*. §. XI. lin. 7. Lachow, *Lochaw*. §. 15. lin. 35. pro
venientem lege *venienti*. Cap. II. §. I. lin. 9. pro filio lege *filia*. lin. 68.
pro cum, lege *in*. §. II. lin. 75. post oppidis infere *Lusatiam*. lin. 76.
dele, & *insuper Lusatiam*.





ut, quibus
mum ho
Vestra g
MAXIM
causam
STRIS
si Vobis
possim.
PRINC
TI GL
probeti
tem me
qua dec
qualia c
De que
quæ Pri
iam alia
tiorum
scribere
KON
CIPI
VV, M
& M

Lipſie, d.
MDC

constet. Pri
a daturus, si
& PALRONI
anc enim ob
IFICIS VE
sus sum; ut,
tum persequi
MAXIMO
ODIE CAPI
a abunbe ad
, nec volunta
propter etiam
ut studia mea
re dignemini.
historiæ parte,
os attinet; et
arum & nego
n pari ausu de
patriæ & SA
O AC PRIN.
votissimus
H. PRÆTORIUS,

